
EPITOMES
nouæ Grammatices
DESPAVTERIANÆ
LIBER QVARTVS:
In quo
PROSODIA
ſeu verſificandi ratio, congruenti ordine, breuiter & perſpicuè traditur:
Opera
SIMONIS VERREPÆI.



ANTVERPIÆ,
Ex officina Chriſtophori Plantini, Architypographi Regij.
M. D. LXXVIII.

AD STVDIOSVM POETICES ADOLESCENTEM IN PROSODIAM PRÆFATIO.



T hunc postremum Grammaticæ librum sæpius ac libentius in manus sumas, diligentius euoluas, & facilius assequaris, admonendum te duximus, studiose Poëtices adolescens, nos quam in libris superioribus secuti sumus docendi viam ac methodum, quæ puerili ætati & intellectui visa sit nobis commodissima, eandem nos etiam hoc in libro retinuisse.

Post præcepta siquidem huius artis faciliora, puerísque magis necessaria, subiecimus suis interdum locis breues quasdam Annotationes, in quibus ea institutioni puerili proponuntur, quæ post factum in hac arte progressum aliquem diutius iam ignorare non licet: sed hoc diligentius sunt excutienda, quo magis Poëtices cognitio vel mediocris, litterarum studiosis est necessaria.

Quod vt tibi, ad vtilissimum Poëtices studium maiore diligen[illegible] excolendum, calcar addat, placuit hic quædam subiicere, ex quibus planè & apertè cuiuis constare poterit, Prosodiæ cognitionem iucundam, vtilem, adeoque necessariam esse, vt absque ea nulla pars Grammaticæ plenè queat percipi.

Hæc enim Orthographiam & rectam scribendi rationem sæpenumerò ostendit, vt quòd legitimus, nō legittimus, scribi debeat, docemur hoc carmine Martialis,

Quæ legis caussa nupsit tibi Lælia Quinte,
Vxorem potes hanc dicere legitimam.

Hæc veram commonstrat pronunciandi rationem, vt Destino proferendum esse media breui Virgiliano carmine erudimur,

Composito rumpit vocem, & me destinat aræ.

Syntaxin declarat Prosodia. Virgilius,

Ipse ego cana legam tenera lanugine mala.

Vbi

Vbi cana cum mala, & tenera cum lanugine, coniungendum esse docet lex Prosodiæ.

Quin etiam frequēter, nec verba quis rectè queat inflectere, Prosodiæ legibus ignoratis. Docet hæc enim Aduenit in Præsenti media breui proferendum esse; sed in Præterito media longa: Et contrà pænultimam in Aduenimus producendam esse in Præsenti; & corripiendam in Præterito.

Superioribus adde, quòd Carminis compositus & artificiosus numerus oblectat aures mollioris ætatis: quo fit, vt Carmen procliuius in puerorum animos illabatur, & multo longiori tempore memoriæ fixum hæreat, quàm ea quæ oratione scribuntur soluta ac libera.

Huc accedit, quòd Carmen inuitos etiam in sui admirationem latenter abripiat, vt velint nolint, quippiam dicturi vel composituri Prosodiæ leges ac dulcissimam harmoniam diligenter obseruent, cum sonoro accentu dulciter finire studeant.

Adhæc Verborum delectus, & figurarum notitia non aliūde felicius discitur, quàm ex Carmine: vnde qui Poëtices studium neglexere, planè humi repunt, nec verborum pondus, aut vllam figurarum vim teneut.

Iam verò licet non omnibus ea obtingat natura ac ingenij felicitas, vt laudabile Carmen faciant, tamen hinc informatur iudicium, vt aliorum scripta expeditius ac certius diiudicare queant. Cùm enim asperas & confragosas cōpositiones, facillimum sit in versibus deprehendere, certè qui Carminis leges ac rationem didicerunt, de solutæ orationis numeris facilius quoque, ac rectius iudicare poterunt.

Hunc igitur libellum adolescens optime, in manus sumito, & vnà cum illo Virgilium, vatum omnium excellentissimum nocturna versato manu, versato diurna, vt in amœnissimos Musarum hortos accessus tibi pateat. Quod reliquum est, Deum precor Opt. Max. ita tibi ac omnibus studiosis adolescentibus prosit hic labor, vt publicæ vtilitatis gratia susceptus est. Vale feliciter. Mechliniæ Anno partę salutis Millesimo, Quingentesimo, Septuagesimo Septimo. Pridie Kalendas Octobres.

Simon Verrepæus.

b 2 LIBRI

LIBRI TOTIVS SCHEMATISMVS.

Traditur in hac Prosodia

- *Quantitas syllabæ.*
  - *Prima cognoscitur*: *Diphthongo, Positione, Vocali ante vocalem, Præpositione, Regula, Exemplo, Deriuatione, Compositione.*
  - *Media*: *Diphthongo, Positione, Vocali ante vocalem, Deriuatione. Regula, Exemplo, Deminutione, Accentu.*
  - *Vltima*: *Diphthongo, Positione, Exemplo, Regula,*
    - a, e, i, o, u.
    - b, c, d, l.
    - m, n, r, s, t.
- *Pedes vsitatiores* x.
  - *Disyllabi* IIII.: *Spondeus, Pyrrhichius, Trocheus, Iambus.*
  - *Trisyllabi* IIII.: *Dactylus, Anapæstus, Tribrachys, Molossus.*
  - *Tetrasyllabi* II.: *Proceleusmaticus, Choriambus.*
- x. *vsitatiora carminum genera.*: *Hexametrum, Pentametrum, Iambicum, Trochaicum, Sapphicum, Adonium, Phaleucium, Anapæsticum, Asclepiadeum, Glyconicum.*

TRIA

TRIA SVNT HVIUS LIBRI CAPITA.

I. *De syllabarum accentu & quantitate.*
II. *De pedibus, quibus carmen velut mensuratur.*
III. *De vsitatioribus carminum generibus.*

DE SYLLABARVM QVANTITATE,

CAPVT PRIMVM.

Ad cognoscendum syllabarum quantitatem necessarium est litterarum, vnde syllabæ fiunt, naturam & discrimina nosse.

Litterarum duæ sunt species:
- *Vocales,* A, E, I, O, V. Y *vocalis Græca.*
- *Consonantes* XVI. *quarum*
  - *Mutæ* IX: B, C, D, F, G, K, P, Q, T.
  - *Semiuocales* VII *è quibus*
    - *Liquidæ* IIII. L, M, N, R.
    - *Duplices* II: X, Z *quæ valent* cs *vel* gs, ds *vel* ſſ.
    - S *Monadicon,* *nec Muta, nec Liquida.*

H *non est littera, sed tantùm adspirationis nota.*
I & V *in eadem syllaba præposita vocali, fiunt Consonantes.*
I, *vt* Iacio, Ieci, Adiicio, Iocus, Iustus.
V, *vt* Vado, Venio, Viuo, Volo, Vultis.

Ex vocalibus fiunt Diphthongi,
- Æ. Præcurro.
- OE. Mœnia.
- Au. Aurum.
- Eu. Euge.

Quibus addi possunt
- Ei. Eia.
- Ai. Aiax.
- Oi. Troia.
- Yi. Harpyia.

QVID PROSODIA.

PROSODIA *est ea pars Grammaticæ, quæ proposito syllabarum Accentu & Quantitate, rectam vocum pronunciationem tradit.*

Dicitur Prosodia à πρὸς, ad, *&* ᾠδὴ, cantus.

Versatur enim hæc circa syllabas, quarum duo obseruat Accidentia, Accentum seu tonum, & Quantitatem siue tempus.

Accentus, seu Tonus, est ipsa pronunciandi ratio, qua syllaba vel attollitur vel deprimitur. De qua plura dicemus in mediæ syllabæ quantitate.

Quantitas, seu Tempus, est spatium illud siue mora, qua syllaba profertur.

Vt porrò syllabarum quantitas faciliùs cognoscatur, obseruandæ sunt duæ syllabarum diuisiones.

Prior Syllabarum diuisio.

Syllabarũ alia breuis est, alia longa, alia communis, seu anceps.

Syllaba breuis est, quæ vnicum tempus siue moram obtinet. eius hæc est nota ˘. *vt* Hĕrŭs.

Syllaba longa est, quæ duo habet tempora. cuius nota seu figura est hæc ¯. *vt* Hērōs.

Syllaba communis seu anceps, quæ nunc breuis est, nunc longa, atque ita corripi, vel produci potest, idque solùm in carmine. vt media in Tenebræ, Volucris, Demigro; *quæ in oratione soluta semper debent corripi.*

Posterior Syllabarum diuisio.

Syllabarum alia Prima, alia Media, alia Vltima dicitur.

Prima dicitur ea syllaba, quæ primum in plurium syllabarum dictione locum obtinet.

Media, quæ neque prima est, neque vltima, sed inter primam & vltimam interiecta.

Vltima dicitur, quæ dictionem terminat. vt in dictione Aristoteles, *prima est* A, *vltima* les, *reliquæ tres*, ri, sto, te, *sunt mediæ.*

Dictiones Monosyllabæ numerantur in vltimis syllabis. vt A, ab, abs; De, e, ex. Fur, mel, mox, rex *&c.*

De Primæ syllabæ quantitate.

Prima modis octo noscetur syllaba quanta est.
Diphthongo, Positu, Vocali, Præpositura,
Regula, & Exemplo, vel Origine, Compositóue.

Octo modis cognoscitur quantitas primæ syllabæ. { *Diphthongo, Positione,* / *Vocali ante vocalem, Præpositione,* / *Regula, Exemplo,* / *Deriuatione, Compositione.* }

De Diphthongo.

Diphthongus Græcis producitur, atque Latinis.
Præ tamen in Præeo, Præes, est breuis, atque Præustus.

Diphthongus omnis natura sua producitur tam in Græcis dictionibus, quàm in Latinis.

Æ, *vt* Cælum. OE, *vt* Cœtus.
Au, *vt* Aurum. Eu, *vt* Euge.

Item, Thaleia, Aiax, Troia, Harpyia.

Excipitur Præpositio Præ, *quæ in Compositione, sequente vocali, in his corripitur,*

Præeo, Præire, Præesse, Præustus, Præacutus.

APPENDIX.

Vt Diphthongus, sic etiam producitur omnis Crasis, hoc est, plurium syllabarum in vnam contractio. vt Di, *pro* Dij. Mi, *pro* mihi. Nil, *pro* nihil. Tibicen, *pro* tibiicen. Cogo, *pro* coago.

De hac plura dicemus infrà in figuris Prosodicis.

De Positione.

Cùm postponetur Vocali Consona bina,
Vel duplex, Positu dicetur syllaba longa.

Positio omnis in carmine producitur.

Positio est, cùm Vocalem sequuntur plures Consonantes, aut vna duplex.

Plures consonantes: vt Mars, castra, bellum, Imperator.

Duplices consonantes sunt X, Z, *&* I *consonans, inter duas vocales media.* vt Rex, Axis, Gaza, Maior, peior, Eius, cuius, baiulo, Deiicio, deiectus.

Fit etiam Positio *in diuersis dictionibus, cùm scilicet prior in Consonantem desinit, & altera à Consonante incipit. vt in hoc versiculo Ouidij,*

Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata.

Syllabæ, In, Tum, Per, Mus, *natura breues Positione producuntur.*

Annotationes.

Exceptio Prior.

Liquida si Mutæ iungatur syllaba eadem,
Si qua breuis præeat Vocalis redditur anceps.

Vocalis natura breuis, quam in eadem syllaba sequuntur Muta & Liquida, communis fit vel anceps; hoc est, nunc corripitur, nunc producitur. vt Agri, Patris, Hadria, Hadrianus, Quadrupes, Cedrus, Etruscus, Cocles, Cyclops, Atlas, *&c. primam syllabam habent communem.*

Tenebræ, Pharetra, Podagra, Integrum, Mediocris, Volucris, Lugubris, *mediam habent communem. vt,*

Nox tenebras profert, Phœbus fugat inde tenebras.

Ouid. Et primo similis volucri, mox vera volucris.

Sed in oratione soluta corripiuntur semper huiusmodi syllabæ.

Vocant autem hanc Positionem, cùm syllaba natura breuis, propter Mutam & Liquidam producitur, Positionem debilē: quæ nō in omnibus temere est vsurpanda; sed veterum Poëtarum exempla debemus in his imitari.

imitari. Nam vt Tenebras *in carmine rectè efferas media longa, ita in* Genitrix, *& similibus non satis tutum fuerit extendere mediam, quòd id nemo bonorum poëtarum fecerit. Sic in* Reflagito, Reflecto, Refluo, Refreno, Refringo, *vt prima frequentissimè corripitur, sic non satis tutum putarim eandem producere.*

Duo porrò sunt in hac Regula obseruanda.

Prius quod dictum est in Regula In eadem syllaba: *quia si Muta & Liquida ponantur in diuersis syllabis, hac Regula locum non habebit; vt in huiusmodi compositis,* Obligo, Obruo, Abnuo, *prior syllaba Positione producitur.*

Posterius, quòd intelligenda sit regula de Liquidis L *&* R. *Nam* M *&* N *non nisi in Græcis dictionibus reddunt syllabam ancipitem. vt* Cycnus, Procne, Tecmessa, *&c.*

Posterior Exceptio.

Cùm vltimam dictionis vocalem sequuntur plures Consonantes, aut vna Duplex, ea vocalis Positione produci non potest.

Virgilius, Phœbe graues Troiæ semper miserate labores.
Idem, Caua flumina crescunt.
Horatius, Ridentes præmia scribæ.
Idem, Si quid peccauero stultus.
Lucanus, Super æquora Xerxem.
Virgilius, Numerosa Zacynthos.

Sunt tamen quædam in contrarium exempla, in quibus vltima natura breuis, Positione hoc modo producitur, quæ summis Poëtis Græcos in hac re imitantibus concedenda sunt: pueris verò nequaquam passim imitanda.

Virgilius, Date tela, scandite muros.
Ouidius, Nil opus est morte pro me.
Martialis, Romana stringis in ora.
Iuuenalis, Occulta spolia, & plures, *&c.*
Silius, Immane stridens agitur.
Catullus, Nulla spes, omnia muta.
Tibullus, Pro segete spicas, pro grege ferre dapem.

Postremò & illud obseruandum, vt apud Homerum interdum τὲ, μὲν, γὰρ, sic apud Latinos coniunctionem Que, *sæpe productam legi, nisi illud Cæsuræ malis fortasse tribui.*

Virgilius. Ecl. 4. Terrasque, tractusque maris, *&c.*
Georg. 1. Lappæque, tribulique: interque.
Georg. 2. Tribulaque, traheæque, & iniquo.

Æneid. 3. Liminaque, Laurusque Dei.
Æneid. 4. Drymoque, Xanthoque, Ligeaque.
Æneid. 12. Chloreaque, Sybarumque, Daretaque.

Recentiores illud non nunquam imitantur. Caueat tamen puer, Ne quid nimis.

De Vocali ante Vocalem.

Vocalis breuis est alia subeunte Latinis.

Vocalis ante vocalem in Latinis dictionibus corripitur. vt, Deus, Maria, Pius, Arduus, Mihi, Nihil, Dicier, Puer, *&c.*

Exceptiones tres.

I. Produces Fio; Sed non Fierem, Fieriq́ue.

In Fio, fi *semper producitur. vt* Fio, fiebam, fiam, fies, fias, *&c.*

Corripitur tamen Fi, *quando accedit littera* R. *vt* Fierem, Fieri, *&c.*

Ouidius, Omnia iam fient, fieri quæ posse negabam.

II. Produc e clausum vocalibus, vt Speciei.

Producuntur etiam Genitiui & Datiui Quintæ declinationis in Ei *purum desinentes. vt* Diei, Faciei, Speciei. *Quæ verò desinunt in* Ei *impurum, penultimam corripiunt. vt* Rei, Spei, Fidei.

III. Vnius est anceps, non Alterius, nec Alîus.

Genitiui in Ius *habent penultimam in prosa longam, in versu ancipitem. vt* Illius, Vnius, Nullius, Vtrius, *&c.*

Excipiuntur duo, Alter, alterius *penultima breui, &* Alius, alîus *pro* aliius *per Contractionem penultima longa. Cui addunt non nulli,* Solus solîus, *penultima quoque longa.*

Annotationes.

Possessiua in eius, eia, eium, *producunt antepenultimam. vt Æ*neius, Priameius; *vt* AEneia coniux, Priameia virgo, *apud Virgiliũ.*

Item

Item Aulai, Terrai, *& similes Genitiui prisci penultimam producũt. Sic* Caius *trisyllabum*, Pompeius, *tetrasyllabum*, *& similia vocalem ante* i *producunt. Idem fit in Vocatiuis* Cai, Pompei, *&c.*

Eheu *producit priorem*: Ohe *variat.*

Intelligenda est superior regula de Vocali ante Vocalem eiusdem dictionis. Nam in diuersis dictionibus Vocalis Vocalẽ antecedens per Synalœphen absorbetur. vt,

Ille ego qui quondam, *&c. proferendum* Ill' ego, *&c.*

Heu *tamen &* O *non absorbentur.*

Heu vbi pacta fides?

Ouidius, O vtinam tunc cùm Lacedæmona classe petebat.

Virg. Te Corydon ô Alexi, trahit sua quemque voluptas.

vbi ô *propter vocalem sequentem etiam corripitur.*

Est postremò intelligenda regula tantum de Latinis dictionibus.

Nam in Græcis & Peregrinis seu Barbaris vocabulis, Vocalis ante vocalem nunc corripitur, nunc producitur, nunc variatur.

Græcorum tanta est varietas, vt regulis propemodum comprehendi non possit. Corripiunt enim Vocalem ante vocalem quæ Græcè scribuntur per ε, *vel* ο. *Producunt quæ per* η, ω, *vel Diphthongum scribuntur.*

Inter cetera, & hæc Vocalem ante vocalem producunt.

A. Aër, Lais, Nais, Thais, Lycaon, Capharnaum, Archelaus, Menelaus, Nicolaus.

E. Basilea, Calliopea, Cytharea, Deiopea; *quæ Græcè scribuntur per* ei. Chorea *quoque &* Platea *e sæpius producunt.* Deiphobus, Eoius, Alpheus, Spondeus, *&c.*

I. Alexandria, Antiochia, Angaria, Cæsaria, Cassandria, Democratia, Dulia, Elegia, Energia, Epiphania, Eugenia, Eumenia, Harpyia, Iphigenia, Latria, Litania, Magia, Mantia, *& hinc* Chiromantia, Necromantia, Nicia. Nicomedia, Orithyia, Pædia, Samaria, Thalia, Iapetus, Priamides, *non* Priamus, Pierides.

I. Clio, Dio, Orion, Amphion, Hilarion, Ixion, Pandion, Pelion, Diogenes, Ionius, a, um. Chius, a, um. Basilius.

Brauium, Gynæcium, *vel* Gynæceum, Idolium, Lycium, Bibliopolium, OEnopolium, Pandochium, Xenodochium, Darius, Bacchius *pes metricus*, *& alia quæ per* Ei *scribuntur.*

O *producuntur, quæ Græcis per* ω *scribuntur.*

Ioannes *modò trisyllabum*, *modò tetrasyllabum.*

Heros, herois, heroicus; Minos, Minois, Minoius.

Tros, Trois, Troius, Troicus; Troilus, Zoilus, Archelous, *&c.*

De

De Præpositione.

Præpositio in Compositione retinet eandem quantitatem quam habet in Consecutione seu appositione. vt docent subiecti versiculi.

Semper corripies ab, ad, in, re, per, ob, super, & sub.
Addit vel demit versu poscente Poëta.

Hæ Præpositiones corripiuntur. vt Abeo, adigo, inhabito, repeto, pereo, obeo, subeo, superaddo.

Si Positio non impediat, quod fit in Abduco, adduco, induco, iniicio, aduolo, inuolo, respondeo, reiicio, percurro, *&c.*

Porrò Abicit, Adicit, Obicit, Subicit *scribuntur ferè i simplici, in quibus proinde Prima breuis est.*

In Refert *Impersonali, Prima producitur*: *In* Refero *corripitur.*

Omitto *ex* Ob *primam habere breuem intelligitur.*

Horatius, Præsens in tempus omittat.

Ȧ produc, E, DE, DI, SE, PRÆ, PROq́. Latinū.
Semper corripies primam in Dirimo atque Disertus.

A, E, DE, DI, *&c. producuntur. vt*, Amitto, auolo, euolo, deludo, diduco, sepono, prælego, produco.

His additur Tra, *pro* trans. *vt* Traduco. *Nisi vocali ante vocalem mutetur quantitas; vt in* Deamo, Dehisco, Prohibeo, Proinde, Seorsum, *& similibus.*

In Dirimo *&* Disertus, *Prima breuis est.*

Exceptio in Pro.

Est Pro breue in Græcis, testatur vt ecce Prôpôla.
Est breue & in Fugio, sic Fano, Cella, Nepósque.
Et Fateor, Fari, Festus, tum Fecto, Profectus.

Pro *in Græcis, & quibusdam Latinis corripitur.*

In Græcis. vt Propôla, Propheta, Problema, Prometheus, *&c.*

In quibusdam Latinis. vt in Profugio, profugus, profugium. Profano, profanus, Procella, Pronepos, Proneptis, Profiteor, Profari, Profestus, Profecto, Proficiscor.

Pro *Commune.*

In Procuro, Propino, Propago Pro variatur.
In Pello & Pullo Pro sæpius vtere longo.
In Fundo, & Fundus, Teruus sæpe vtere curto.

Pro *in his octo commune quidem est: sed in quibusdam sæpius producitur, in aliis corripitur.*

Propago, *tam Nomen quàm verbum, videtur primam habere communem. Quòd verò aliqui tradunt hoc nomen pro* Vite *primam producere, pro* Posteritate *verò seu* Progenie, *eandem corripere; mirum hoc videri potest, cùm eadem sit significatio, nisi quòd posterior est metaphorica.*

De Compositione.

Simplicis obseruat mensuram Compositiuum,
Quamuis Diphthongus, vel Vocalis varietur.

Quantitas dictionis simplicis cognoscitur sæpe ex quantitate dictionis composita.

Vt in Pono, Spiro, Sanus, *prior est longa; quia dicimus,* Compono, Respiro, Insanus, *accentu in penultima.*

In Seco, Frico, Potens, *prior breuis intelligitur ex* Reseco, Refrico, Impotens, *penultima cum accentu graui.*

Sic Lædo, Illido. Cædo, occido. Quæro inquiro.

Si Compositum sit tetrasyllabum, redactum in trisyllabum quantitatem indicabit.

Vt in Derideo, ri *longum est: quia dicimus* Derideo, derides.

Sic in Prouideo, prouides, vi *breue est.*

De

De Deriuatione.

Deriuata suæ vox seruat originis vsum.
Non nulla excipies quæ prosa docebit & vsus.

Deriuatiua dictio retinet plerumque quantitatẽ Primitiuæ. vt, Orator, oratio, orans, oraturus, *Primam producunt, vt verbum* Oro: *vnde* Exoro.

Amor, amicus, amabilis, amans, amaturus, amandus, amatus, amanter, *Primam corripiunt, vt* Amo; *vnde* Adamo.

Sic Mouebam, mouebo, moue, moueto, mouerem, moueam, mouere, mouens. *Item*, Moueor, mouebar, mouebor, mouere, mouetor, mouerer, mouear, mouendus, *Primam corripiunt, sicut* Moueo.

At Moueram, mouissem, mouerim, mouero, mouisse, *Primam producunt, sicut præteritum dissyllabum* Moui. *Ita quoque* Motus, a, um, moturus, motio, motus, us, ui, Mobilis, *& si qua sunt alia, Primam habent longam, sicut Supinum dissyllabum* motum.

Exceptiones.

Deriuatiua quædam à Primitiuis longis corripiuntur. vt, Dicax *&* maledicus *à* dico. Dux ducis, *&* Redux reducis, *à* duco. Arena, arundo, *&* arista *ab* areo. Fides *à* fido, *vel* fio. Lucerna *à* luceo. Disertus *à* dissero. Sagax *à* saga, *vel* sagio. Sopor *à* sopio. Lotium *à* lotum. Odium *ab* odi. Vadum *à* vado. Vitium *à* vito. Fragor *&* fragilis *à* frango. Fatuus *à* fando. Natare à natu: *vnde* enato. Notare à supino notu. Bubulcus *à* bobus. Curulis *à* curru. *& quædam alia, in quibus tamen Etymologia sæpe est incerta.*

Deriuatiua quædam à Primitiuis breuibus producuntur. vt,
Sedes *à* sedeo. Vires *à* vireo. Laterna *à* lateo.
Littera *à* lino. Tegula *à* tego. Macero *à* macer.
Lex legis *à* lego. Rex regis *&* regula à rego.
Fomes *&* fomentum, *à* foueo, Vox vocis *&* vociferor, *à* voco,

voco. Humor *&* humanus *ab* humus. Iunior *à* iuuenis. Iumentum *à* iuuo. Quatuor *à* quater. Trinus *à* tribus. Nonus *à* nouem. Denus *à* decem. Vitupero *à* vitium. *Et quædam alia, in quibus tamen deriuatio sæpe non est certa.*

De Regula.

Regula *est certa quædam obseruatio, consuetudine & vsu comprobata, cuiusmodi sunt hæ duæ quæ sequuntur.*

I. *De Præteritis & Supinis disyllabis.*

Præteritum produc disyllabum, atque Supinum.

Omne Præteritum & Supinum disyllabum, & quæ ab iis deducuntur, primam producunt.

Præteritum. vt Legi. *Et hinc* legeram, legissem, legerim, legero, legisse.

Item Perlegi, perlegeram, *&c.*

Supinum. vt Visum: *& hinc* Visus, Visurus, Visio, Visito. Prouisum, Reuisum, Inuisum, *&c.*

Exceptiones duæ.

I. Tolle Bibit, Scidit, atque Fidit, Tulit, ortaque Do, Sto.

Hæc sex Præterita disyllaba, & quæ ab iis deducuntur, primam corripiunt; quod apparet ex compositis. vt Bibi, biberam, bibissem, *&c.* Ebibi, Imbibi. Scidi, discidi. Fidi, diffidi. Tuli, attuli. Dedi, venumdedi. Steti, adstiti.

Præteritum Abscidi *legitur nunc media breui, nunc longa, vt à* Scindo *vel à* Cædo *componatur.*

II. Tolle Supina nouem: Datum, Itumque, Quitumque, Citumque:
Adde Litumque, Satumque, Situmque, Ratumque, Rutumque.

Nouem

Nouem Supina disyllaba, & quæ ab iis formātur, primam corripiunt. vt Datum, circumdatum. Datio, dator, *&c.* Itum, abitum, reditum. Rutum, dirutum, *&c.*

Composita à Sto, statum *producunt*, stitum *verò corripiunt: vt* Præstâtum, Constâtum. Præstitum, Constitum.

Status, us, ui, *&* Statio *à Supino* Statum, *corripiuntur, sicut &* Statim, *pro* mox. *Sed* Statim, *pro* constanter, *volūt produci.*

Statum à Sisto *corripitur; hinc* Status, a, um.

Lucanus, His adscripsit aquis, quarum stata tempora flatus.

II. *Regula de Præteritis geminatis.*

Syllaba prima breuis fit Præteriti geminati:
Sic Pungo pupugi format; sic Pendo pependi.

Præterita principium geminantia, corripiunt primam: vt, Cecidi, Pupugi, Pependi, Totondi, Fefelli, Cucurri.

Cetera Præsentis naturam verba reseruant.
Hinc tamen exceptis, Genui, Posui, Potuique.

Alia Præterita & Supina retinent quantitatem Præsentis Indicatiui, vt Clamo, clamaui, clamatum, *primam producunt.* Voco, vocaui, vocatum, *primam corripiunt.*

Excipiuntur tria, quæ à præsenti producto primam corripiunt. Posui, positum, *à* Pono. Genui, genitum, *à* Gigno, *&* Potuī *à* Possum.

Coëgi *à* Cogo *vocali ante vocalem corripitur.*

De Exemplo.

Postremoq; Exempla docent sit syllaba quanta:
Sic Maro producis Vomis; Vomo corripis idem.

Exemplum est probata Scriptoris boni auctoritas.

In qua est omnium certissimus inuestigandæ quantitatis modus. Eo vtemur, cùm reliquis erimus destituti, vt si quis ignoret quātitatem primæ syllabæ in Pater *&* Nouerca, *cognoscet vtramque ex hoc versu Virgiliano,*

Est

Est mihi namque domi pater, est iniusta nouerca.

Quamobrem vtilissimum fuerit multos optimorum Poëtarum versus ediscere, & ex iis syllabarum omnium quantitatem, carminum genera, & venustatem obseruare.

Ex veteribus eligendus legendúsque Virgilius, Poëtarum omniũ facilè princeps.

In Recentioribus summopere cauendum ne quid præter veterum auctoritatem pueri temere imitentur.

De Mediæ syllabæ quantitate.

Quanta sit in Medio quæ ponitur octo docebũt:
Diphthongus, Positus, Vocalis, Origo, Canonq;
Exemplum, Accentus, vel Dictio deminuenda.

Mediæ syllabæ quantitas cognoscitur modis octo: { *Diphthongo, Positione,* / *Vocali ante vocalem, Deriuatione,* / *Regula, Exemplo,* / *Deminutione, Accentu.* }

De Positione, Diphthongo, Vocali ante vocalem, & Exemplo iam satis dictum est. Dicendum nunc igitur de reliquis quatuor.

De Deriuatione.

Deriuatorum quantitas ex Primitiuis cognoscitur, quemadmodum Compositorum ex Simplicibus. Sic Virgineus *cognoscitur* gi, *corripere, ex* Virgo virginis: Verecundus *verò* re *producere, ex* vereor vereris. *Sic* Aratrum, Ambulacrum, Lauacrum, Simulacrum, Inuolucrum, *cognoscũtur penultimam habere longam, ex Supinis productis,* Aratum, Ambulatũ, Lauatum, *&c.*

Sic syllaba secunda in Inimicus *cognoscitur esse breuis ex* amicus: *In* Iniquus *verò longa ex Simplici* Æquus.

Pauca à Primitiuis suis degenerant: vt nomina in Dicus *corripiunt* DI, *quam* Dico *producit: vt* Caussidicus, Maledicus. *Sic* Pronuba *&* Innuba *u corripiunt, quam* Nubo *producit.*

Connubium *verò apud Virgilium mediam variat.*
Deiero *&* Peiero *mediam corripiunt: sed* Iuro *producit* u.
Sic in Semisopitus so *breue est : in* Sopitus *&* Insopitus *longum.*

De Deminutione.

Deminutio est cùm de fine dictionis vna vel plures syllabæ detrahuntur, & ex eo, quod reliquum est, elicitur quantitas.

Deminutione enim inuestigatur quantitas syllabæ antepenultimæ, cùm hac deminuta dictione fit penultima, & Accentu cognoscitur. quod fieri nequit, nisi in dictione quatuor aut plurium syllabarum.

Vt Docuerimus e *breuem habere intelligitur ex* Docuerim. *sic contrà in* Peritorum i *longum cognoscitur ex Nominatiuo* Peritus. *In* Fortunatus u *produci intelligitur ex* Fortuna. Pi *in* Lapidibus *corripi, ex Genitiuo* Lapidis.

De Regvla.

De littera E *in Compositione.*

Regvla I.

E *claudens priorem partem dictionis compositæ, ferè corripitur. vt* Liquefacio, Tepefacio, Stupefacio, Tremefacio, Nefas.

Excipiuntur non nullæ quæ producunt e, Veneficus, Venefica, Videlicet.

Et ferè quæ ex Ne *componũtur,* Nequis, Nequa, Nequod, Nequam, Nequitia, Nequidquam, Nequaquam, Nequando.

In Liquefacio *tamen,* Tepefacio, Expergefacio, Rarefacio, Patefacio, Patefio, *inuenies aliquando productum : Sed correptio est vsitatior.*

De littera I *in Compositione.*

Regvla II.

I *quoque claudens priorem partem Compositi sæpe corripitur. vt,*

Agri-

Agricola, Omnipotens, Caussidicus, Blandiloquus, Sacrificus, Sacrifico, Multiplico.

Sic in Græcis, Palinurus, Polydorus, Polypus, Tripus, *&c.*

Huc spectant quæ ex Bi *&* Tri *componuntur*: Biceps, Triceps. Bicorpor, Tricorpor. Bicuspis, Tricuspis. Bidens, Tridens. Bifidus, Trifidus.

Excipe quatuor quæ i *producunt*: Biduum, Triduum, Bigæ, Quadrigæ. *In* Biiugus *et* Quadriiugus i *Positione producitur.*

Exceptiones III.

I. *Cum* i *fuerit alicuius certi casus, producetur. vt* Reipublicæ, Siquis, Quilibet, Quiuis, Quidam, Cuidam, Cuilibet, Qualicumque, Quanticumque, Tantidem.

II. Scilicet, Ilicet, *quasi* scire & ire licet; Ibidem, Vbiuis, Vbique, i *producunt.*

Sed in Vbicumque *cũ Martiale & Lucano* i *tutius corripies.*

In Vnicuique *malim vtrumque producere.*

In Siquidem, *dum vna scribitur dictio*, Si *corripitur.*

Sed dum syllabæ diuiduntur, Si quidem, Si *longum est.*

Idem *Masculeum produc: Sed corripe Neutrum.*

III. *In Compositis à* Dies, i *ferè commune est. vt,* Pridie, Postridie, Quotidie, Meridies.

Licet in tribus posterioribus sæpius producatur.

De littera O in Compositione.

REGVLA III.

O *claudens priorem partem dictionis Græcæ ferè etiam corripitur. vt* Christophorus, Timotheus, Macrobius, Astronomus, OEconomus, Philosophus, Zelotypus, Chirotheca, Theophilus, *&c.*

Producunt O quæ Græcis scribuntur per ω mega: vt, Geometra, Minotaurus, Lagopus, *& si qua sint alia.*

In Latinis O sæpe producitur. vt Nolo, Quandoque, Quandocumque, Introduco, Retrouersus.

Corripiunt verò Hodie, Quandoquidem, Bardocucullus.

Item Controuersus, Controuersia, Controuersor, *huc etiam spectare videntur.*

De Accentu.

Accentus, siue Tonus, est pronunciandi ratio, qua syllaba vel attollitur vel deprimitur. Cicero vocis sonum appellat.

Accentus est triplex: Acutus, Grauis & Circumflexus, qui ex vtroque mistus est.

Accentus { *Acutus attollit* / *Grauis deprimit* / *Circumflexus utrumque* } *syllabam.*

Vt in dictione Dominus, *prima acuitur, reliquæ grauantur.*

In dictione Romanus, *media circumflectitur, reliquæ deprimuntur.*

Cognoscitur autem Accentu syllaba tantùm penultima dictionis polysyllabæ, quæ syllaba penultima, si vel acutum vel circumflexum tonum obtinet, longa: si grauem, breuis. vt,

Románi, Sacerdótes, Legísses, Studéres.
Románus, Tibîcen, Festîno, Studêre.
Pópulus, Túbicen, Déstino, Lúdere.

ANNOTATIONES.

Quinque Regulæ Accentuum.

I. *Dictiones monosyllabæ natura breues, aut positione longæ acuuntur. vt* Súm, és, ést. ós ossis. Fróns, párs, dúx, át, ást.

II. *Dictiones monosyllabæ natura longæ, circumflectuntur. vt* Lîs Dîs, dôs, ôs oris.

III. *Dictiones disyllabæ, quæ habent priorem natura longam, & alteram breuem, priorem circumflectunt: vt* Mâter, Rôma. *Alias acuunt: vt* Mátres, Páter, népos, iústus, iústi, iústo, mónstras, *&c.*

: *Indeclinabilia quædam accipiunt accentum in vltima. vt* Doctè, porrò, vnà, *& similes dictiones, quo differant à Nominibus.*

Poly-

IIII. *Polysyllabæ dictiones penultimam natura producentes, & vltimam corripientes, penultimam circumflectunt. vt* Românus, togâtus, Homêrus, Natûra, docêre.

Producentes verò vltimam, acuunt penultimam. vt Mæcénas, Romános.

Sic etiam penultimam Positione extendentes, eandem acuunt siue breuis sit vltima, siue longa. vt Metéllus, Sacérdos, legíssem.

V. *Dictiones Polysyllabæ penultimam corripientes, antepenultimam acuunt siue longam, siue breuem: quantacumque sit vltima. vt*, Optimus, Spíritus, spíritibus, Dóminus, dómini, légerem, Areópagus, *&c.*

Exceptiones ab his regulis.

I. *Sunt non nulla, quæ licet penultimam longam habeant, antepenultimam tamen acuunt. vt Composita ab* Inde: Déinde, Périnde, Próinde, Súbinde, *&c.*

Item hæc, Alíquando, Síquando, nímirum, enímuero, dúmtaxat, ex áduersum, *&c.* Háctenus, ádmodum, Propémodum, Quomódo, *&c.*

Quæ ita ferè pronunciantur discriminis gratia, ne duæ putentur dictiones. cuiusmodi sunt, Nihilo minus, Paulo minus.

Memineris hic tamen puer ne sic in omnibus his acuas antepenultimam vt penultima existimetur corripi.

Aliud enim Accentus est, ad quem spectat eleuatio & depressio: aliud tempus siue quantitas, ad quam pertinent productio & breuitas, id est, longa & breuis in pronunciando mora. Cauendū igitur ne in his penultima sic acceleretur, vt suo priuetur tempore, sed leuiter non nihil protrahenda est.

Atque hæc ex doctorum quorundam sententia. Si verò quis quid ipse sentiam fortè requisierit, suaserim in multis cedendum non nihil receptæ loquendi eorum consuetudini, quibuscum versaris, ne pro docto habearis fortasse ridiculus.

II. Calefac, calefis, calefit, benedic, *acuunt vltimam.*

In Calefacis, frigefacis, *item* Vtraque, Pleraque, *Nominatiuis & Accusatiuis, penultimæ, licet breues, acuuntur plerisque.*

III. *In Vocatiuis propriorum nominum in* I V S, *vt* Valeri, Virgili, Ouidi, *&c. Romani olim Ciceronis ætate, antepenultimam acuebant.*

Nos verò nunc Gellium & ipsius æquales secuti, penultimam acuimus, ne noua pronunciatione offendantur auditorum aures.

Ex quo perspicitur progrediente tempore mutari interdum ipsius Accentus rationem.

Vnde nemo miretur si in Ambrosi, Gregori, Geruasi, Protasi, *penultima longa à viris piis efferatur.*

IIII. *Syncope praeterea Accentum mutat. vt* Cælicolûm, *pro cælicolarum.* Deûm, *pro* Deorum. Arpinâs, nostrâs, cuiâs, *&c. pro* Arpinâtis, nostrâtis, cuiâtis, *&c. In quibus retinetur Accentus vocis integra.*

V. *Dictiones Encliticæ reiiciunt Accentum suum acutum in syllabam præcedentem. vt* Homóque, illámne, bestiáue.

VI. *Græca quædam & peregrina ab his etiam regulis sæpe recedunt.*

Græca siquidem, si Latinè varientur, Latinum habebunt tonum: sin Græcè, Græcum. vt Bœótia Bœótiæ: *Græcè,* βοιωτία βοιωτίας.

Sunt tamen, auctore Fabio, quæ poterunt vtroque modo non indecenter efferri. vt Andréas, Idéa, *Græco more pronuntiantur penultima acuta: Latinè verò* Andreas, Idea, *penultima graui, & antepenultima acuta.*

Sic quidam Græco tono efferunt, Theología, Philosophía, Eucharistía, Elías. *In quibus cedendum quoque vsui & doctè loquentium consuetudini.*

Peregrinis verò seu Hebræis ac barbaris Græci acutum in fine ferè tribuerunt. vt Mariám, Abrahám, Ioséph.

At quoties hæc more suo declinant, suum illis tonum annotant, quod Latini imitantur. vt Iosêphus, Iacôbus, Noêmus, Michaêlus, *&c. Accentu acuto in penultima.*

Porrò si ignoretur proprius peregrinæ vocis tonus, tutissimum fuerit iuxta Latinorum Accentum illam enuntiare.

Quamuis autem Accentus diligenter in pronũtiando seruandi sunt, notari tamen non solent, nisi vel distinctionis vel ambiguitatis vel necessitatis caussa. vt Pone *verbum, &* Ponè *aduerbium.* Docte *nomen,* Doctè *aduerbium.*

De vltimæ syllabæ quantitate.

Vltima quanta fiet cùm Tiro nosse laboras,
Diphthongo, Positu, Canone, aut Paradigmate disces.

Vltimæ syllabæ cognoscuntur modis quatuor:	*Diphthongo, Positione, Exemplo.*	*de quibus dictum est.*
	Regula. de qua nunc dicendum.	

A pro-

A.

A produc. Breuies Primum, Quartum, atque Vocantem:
Sed natos ex A s Græcorum protrahe Quintos.
In Ginta melius produces: Corripe Genta.
Corripies Ita, cum Quia, Poſtea. iungitur Eia.

A finita producuntur. vt A, Da, Ama, Vltra, Fruſtra, Præterea, Interea, Antea. *Sic* Contra *&* Puta *ſiue Verbum, ſiue Aduerbium, malim producere.*

Exceptiones.

Corripiuntur Nominatiui, Accuſatiui, & Vocatiui in A, *cuiuſcumque fuerint Generis, Declinationis aut Numeri. vt* Hæc *&* ô Muſa, Dogma dogmata, Carmina, Scamna, Pallada, Oreſta.

Sed Ablatiui in A, *& Vocatiui Græcorum deſinentium in* A s, *producũtur. vt* Ab hac Muſa, Poëta. O Ænea, Calcha, Atla.

Numeralia in Ginta *tutius cum Virgilio produces, licet ea non nulli velint eſſe communia. vt* Triginta, Quadraginta, *&c.*

Sed in Genta *corripiuntur. vt* Quadringenta, Quingenta, *&c.*

Corripiuntur etiam Ita, Quia, Eia, *&* Poſtea.

E.

Eſt E breuis: Primæ produc & nomina Quintæ.
Quintus in E Ternæ eſt longus, cùm Rectus in E s fit.
Induperatiui produces verba Secundæ.
His adde à Dandi deducta Aduerbia Caſu.
Sed Malè corripitur. produc Fermè, Ferè, & Ohe.
Inclinatiuas præter Monoſyllaba produc.

In E deſinentia corripiuntur. vt Mare, mille, Reate, Soracte, A Careme, *vel* Chremete, Ab Oreſte, A Pylade.

Docere, scribe, scribere.
Age, euge, hercule, impunè, fortè, facilè, ritè, pænè, ponè, prope, nempe, mâne, sponte, ante, &c.
His adde Adiectiones syllabicas, Pte, Te, Ce, Cine. Suapte, Tute, Hisce, Hiccine.
Exceptiones.
I. *Producuntur omnes casus in* E *Primæ & Quintæ declinationis.*
Primæ. vt Pentecoste, ô Anchise, ab Anchise, à Laërte: *quæ sunt ex* η *in* e *longum à Latinis conuersa.*
Quintæ. vt Specie, Die, Re. *Et quæ ex iis componuntur:* Hodie. Pridie, Postridie, Quotidie, Quare. *Quibus adde Ablatiuum* Fame *olim Quintæ declinationis.*
II. *Producuntur ad hæc Vocatiui nominum in* Es *Tertiæ declinationis. vt* ô Chreme, Lache, *&c.*
Sed Achille *&* Vlysse *inueniuntur interdum corripi.*
III. *Producuntur Imperatiui singulares Secundæ declinationis. vt* Doce, Sede, Ride, Gaude.
Corripiuntur interdum Vale, *&* Vide, *&* Caue *frequenter. Quod argumento est fuisse hoc verbum olim apud veteres Tertiæ coniugationis.*
IIII. *Aduerbia in* E *deducta ab Adiectiuis Secundæ declinationis, mutato* O *Datiui casus in* E. *vt* Bellè, pulcrè, doctè, rectè, optimè, *&c.*
His adde Valde, *pro* validè, Ferme, Ferè, *&* Ohe.
Sed Malè *&* Bene *corripiuntur, vt etiam* Mage, *pro* magis.
V. *Monosyllaba in* E *producuntur. vt* Me, Te, Se, E, De, Ne *prohibendi Aduerbium.*
Excipiuntur tres Coniunctiones Encliticæ, quæ corripiuntur: Que, Ve, Ne; *quibus adde totidem Adiectiones syllabicas*, Pte, Ce, Te.
Cete *&* Tempe *etiam producuntur, quòd Græcis scribantur per* η.
I pro-

I.

I produc. Ternū cum Quinto corripe Graium.
Rarò producunt, Vbi, Ibi, ac Nisi, cum Quasi, docti.
Syllaba cui longa est: Disyllabon est mage curtū.
I commune Mihique, Tibique, Sibiq. reseruant.

I *finita producuntur. vt* Antoni, Libri, Patri, Forti, Vidi, Si, Ni.

Exceptiones.

I. *Corripiuntur Datiui & Vocatiui nominum Græcorum Tertiæ nostræ declinationis. vt* Palladi, Pari, Alexi, Phylli, Amarylli.

Datiui tamen Latinus interdum producuntur. vt apud Martialem Pyladi, *apud Catullum* Thetidi; *sed in Cæsura:* Qualis adest Thetidi.

II. *Corripiuntur tutius,* Vbi, Ibi, Nisi, *&* Quasi. *His adde* Cui *disyllabum sæpius breue: Nam monosyllabum est semper longum.*

III. *Communia sunt,* Mihi, Tibi, *&* Sibi.

O.

O commune datur. Monosyllaba longa repone.
Græcaq. ceu Dido: Ternum Sextumq. Secundæ.
Virgilio fermè sunt vera Gerundia longa..
Tu quoque produces Aduerbia nomine nata.
Sæpius Ambo, Duo, Scio, Nescio corripiuntur.
Sic Modò cum natis: Ego, & Illico, cum Citò, & Immo.
Sed variat Serò, variat Coniunctio Verò.
Ergô pro caussa produc: aliàs breuiato.

O *finitum commune est, nunc longum, nunc breue: vt,* Homo, Virgo, Amo, Amabo, Quando.

Exceptiones.

I. *Monosyllaba in O producuntur: vt* O, Do, Sto, Pro, Prô, *&c.*

II. *Producuntur Graeca in O, quae Graecis scribuntur per ω magnum. vt* Dido, Clio, Sappho, Calypso, Echo, Androgeo, Atho.

III. *Producuntur etiam Datiui & Ablatiui in o secundae declinationis. vt* huic Domino, tuo, in templo, in atrio, *&c.*

IIII. *Gerundia in O à Virgilio ferè producuntur, sed ab aliis Poëtis vsurpantur communia, nunc producta, nunc correpta.*

V. *Aduerbia in O ab Adiectiuis deriuata etiam producuntur. vt* Verò, falsò, seriò, meritò. *His addes,* Adeò, Ideò, loco.

VI. *Corripiuntur ferè* Ambo, Duo, Scio, Nescio. *Itē* Citò, Illicò. Immo, *&* Modò *cum compositis,* Quomodo, Dummodo, Postmodo.

Ego *legitur aliquando productū; sed alterum est multò tutius.*

Communia sunt Serò, *&* Verò, *cùm est Coniunctio: Nam cùm est Aduerbium, producitur.*

Sedulò, Mutuò, Crebrò, Profectò, *corripias licet, cùm apud probatos Poëtas correpta legeris.*

V.

V semper produc: veluti Cornu vel Amatu.

In V semper producuntur. vt Fructu, Cornu, Tu, Amatu, Diu, *&c.*

Finita in Consonantes.

B.

Corripe B Latium. Peregrinum tendere malim.

In B finita corripiuntur. vt Ab, Ob, Sub.

Producuntur Hebraea ac peregrina pleraque, sed ratione Vocalis vel Diphthongi praecedentis. vt Iob, Iacob, *quae Graecis scribuntur per ω mega.* Beelzebub, Achab, Aminadab. *quae Hebraeis etiam scribuntur per Vocalem longam.*

C pro-

C.

C produc: Fac, Lac, testes adhibeto. Sed Anceps
Hic Pronomen erit. Nec, Donec corripiuntur.

In C *desinentia producuntur. vt* Ac, Fac, Lac, Dic, Duc, Huc, Hoc, *&* Hîc *Aduerbium*. Nam Hic *Pronomen est cõmune.*

Exceptio.

Corripiuntur Nec, Donec. *Item peregrina quædam*, Abimelec, Melchisedec. *Sed* Sadoc *producitur; quia scribitur per ω magnum.*

D.

D breue ponatur. Variè peregrina leguntur.

Latina in D *corripiuntur.* Ad, Apud, Id, Illud, Istud, Aliquid, Sed, *&c. Nisi Diphthongus id vetet. vt* Haud.

In D *peregrina aut Hebræa pleraque variè leguntur. vt* Dauid, Bogud.

L.

L breue fit: cum Sol, Sal, Nil tolluntur Hebræa.

In L *corripiuntur. vt* Animal, Vectigal, Hannibal, Mel, Nihil, Pol, Ædepol, Consul, Simul, Semel, *&c.*

Exceptio.

Producuntur, Sol, Sal, Nil *ex* Nihil *contractum.*

Item Hebræa pleraque ac peregrina. vt Baal, Nabal, Saul, Michaël, Daniel, *&c.*

M.

M nunc elides: Positu aut producitur ipsum.

In M *finita veteribus olim corripiebantur.*

Ennius, Insignita ferè tum millia militum octo.

Sed nunc sequente vocali M *absorbetur: Consonante sequente Positione producitur.*

N.

N produc: An, & In, Tamen, Attamẽ excipiũtur:
Forsitan, & Forsan, Viden' his adiunxeris aptè.

Dans

Dans INIS EN curtum est, velut On quod Tertia nescit.

Corripitur Quartus, quando breuis vltima Recti est.

N *finita producuntur. vt* Titan, Pæan, En, Ren, Sin, Quin, Non, Siren, Hymen, Delphin, Trachin, Simon, Agamemnon, *& reliqua in* On *Tertiæ declinationis.*

Et Accusatiui Græcorum in A s, E s, *&* E. *vt* Ænean, Anchisen, Penelopen. *Et Genitiui Plurales in* On. *vt* Hæreseon, Georgicon, Cimmerion, Epigrammaton, *&c.*

Exceptiones.

I. *Corripiuntur* An, In, Tamen, Attamen, Forsan, Forsitan: *quibus additur* Viden', *pro* vides ne *per Apocopen. De ceteris verò per Apocopen prolatis, vt* Egon', Men', Scin', Nostin'. *Item* Dein', Exin', Proin'. *Nihil inuenio certi apud Grammaticos, nisi quod* Tun' *videtur produci à Virgilio,* Tun' ille Æneas. *&c. nisi legas* Túne.

Et Nemon' *producitur ab Horatio diuersis locis.*

II. *In* En *habentia* Inis *in Genitiuo corripiuntur. vt* Carmen, Nomen, Tubicen, Tibîcen, fulmen, *&c.*

III. *Corripiuntur in* On *Secundæ declinationis: quia Græcis scribuntur per o micron seu paruum. vt* Ilion, Pelion.

Omnia enim quæ Græcis scribuntur per o paruum, habent o breue. vt, Ilion, Ilios, Arctos, Lámpados, Herôos, Titânos, *&c.*

IIII. *Corripiuntur Accusatiui Græcorum, quorum vltima Nominatiui breuis est. vt* Ossan, Iphigenian, Medean: Menèlaon, Orpheon, Apostolon, Ibin, Daphnin, Erinnyn. *Ouidius tamen dixit,*

Qui legis Electran, & egentem mentis Orestem.

R bre-

R.

R breuis est. Produc Patrium quod format in Eris,
Aer atque æther, iunge & Monosyllaba quædam:
Vt Cur, Fur, Par, Far, Lar, Nar. Sit Celtiber anceps.

R *finita corripiuntur. vt* Cæsar, Calcar, Puer, Pater, Vir, Leuir, Color, Hector, Vultur, Guttur, Martyr, Legar, Legor, Legerer, Legitur, Per, Super, Semper, *&c.* Cor *etiam rectius ac tutius corripitur.*

Exceptio.

I. *Producuntur in* E R *quæ* Eris *producunt in Genitiuo. vt* Ver, Crater, Iber, Character. *Sic* aër *&* æther, *quæ* eris *corripiunt.*

II. *Producuntur etiam quædam Monosyllaba. vt* Cur, Fur, Par, *cum suis compositis,* Compar, Dispar, Impar, *&c.*

III. Celtiber *est Commune, licet productionis raræ occurrant testimonia.*

As.

As finita, velut Pietas, fermè omnia produc.
Corripe Græca tamen, per ADIS quæ dant Genitiuum:
Queis Terni flexus Plurales adiice Quartos.

As *finita producuntur. vt* Æneas, Musas, Ciuitas, Pallas Pallantis, Fas, Nefas, Amas, Doceas, Cras, Foras, *&c.*

Exceptio.

I. *Corripiuntur Græca in* As, *quæ habent* ADIS *in Genitiuo. vt,*
Pallas Palladis, Ilias, Olympias, Lampas, Arcas.

II. *Corripiuntur Accusatiui Plurales in* As *nominum Græcorum*

rum Tertiæ nostræ declinationis. vt Heroas, Lampadas, Crateras, Hectoras.

Sed producitur Accusatiuus Crateras *Primæ declinationis à Nominatiuo* Cratera, crateræ.

Es.

Ponitur Es longum. Græcorum corripe Rectos
Plurales: Neutri generis quibus addito Græca.
Format item quod IDIS, vel ITIS, vel ETIS
Genitiuo.
Hinc tamen excipimus, Paries, Aries, Abiesque.
Vt Penes est curtũ; sic Es quod nascitur à Sum.

In Es *producuntur. vt* Anchises, Penelopes, Nubes, Lebes, Ceres, Pes, Bipes, *&c.* Species, Fides, Laudes, Gaudes, Dices, Quoties, Decies, Vicies, *&c.*

Exceptio.

I. *Corripiuntur Nominatiui & Vocatiui Græci Plurales. vt,* Heroës, Crateres, Thraces, Lampades, Phœnices, Curetes, Corybantes.

Charybdes *autem*, Hæreses, Metamorphoses, *& similes Nominatiui producuntur; quia non sunt casus Græci, sed merè Latini: Græcis enim exeunt in* ιις, έις, *vel* ευς. *Sic* Gades *&* Syrtes.

II. *Græca in* Es *Neutri generis corripiuntur. vt* Cacoëthes, Hippomanes, Nepenthes: *quia Græcis per* E *scribuntur.*

III. *Corripiuntur in* Es *quæ habent in Genitiuo* IDIS, ITIS, *vel* ETIS *penultima breui.*

IDIS. *vt* Præses, Obses, *&c.* ITIS. Fomes, Miles, Diues, *&c.*

ETIS. Seges, Interpres, Hebes, *&c. De quibus in nominum declinationibus.*

Excipiuntur tria, quæ es producunt, Aries, Paries, Abies.

IIII. *Corripiuntur* Penes *Præpositio,* Es *à* Sum *cum Compositis,* Ades, Abes, *&c. Sed* Es *ab* Edo *producitur.*

Is,

Is, vel Ys.

Ponitur Is curtum. Plurales protrahe casus,
Et quæ dant Patrio INIS, & ITIS, & ENTIS, & IRIS.
Is verbi produc cuius Plurale fit Itis.
RIS tamen haud rarò legitur breue Coniunctiui.
Produc Vis nomen, Vis verbũ, atque inde creata.

IS *aut* Y *infinitum corripitur. vt* Lapis, Apis, Turris Patris, Thetis, Thessalis, Titânis, Is, Quis, Quisquis, Legis, Ais, Auditis, Gratis, Satis, *&c.*
Chelys, Capys, Erinnys, Tethys vxor Oceani.

Exceptiones.

I. *Producuntur omnes casus plurales in* IS. *vt* Musis, Pueris, Nobis. Quîs, *pro* quibus. Tris, *pro* tres. Omnis, *pro* omnes, *&c.*

II. *Nomina in* IS *habentia* ITIS *longum*, INIS, ENTIS, *aut* IRIS *in Genitiuo. vt* Dis, Lis, Samnis, Salamis, Trachis, Simois, Pyrois. *Sic* Glis gliris.

III. *Secundæ personæ singulares, quarũ plurales habent* ITIS *penultima longa. vt* Is, redis, Scis, nescis, Audis, Possis, Velis, *&c.*

Quod verò spectat ad Futurum Coniunctiui, quamuis penultima Plurales Imus *&* Itis *ferè producantur, tamen Secundæ Singulares nunc correptæ, nunc productæ leguntur, licet productio Cæsuræ ferè tribuenda videatur. Exempla omitto, ne sim longus. Certè Horatius, Martialis, & Lucanus, vt Præterita, sic etiam Futura sæpe corripiunt.*

Vis *tum Nomen, tum Verbum, cum Compositis*, Quiuis, Quamuis, *producitur.*

Os.

Os produc. Breue Compos, & Impos, Os ossis, & Exos.

Quæ-

Quæque per ο micron ſcribuntur, vt Arctos,
Eposque.
Scripta per ω magnum produces;quale ſit Heros:
Viueret Androgeos vtinam. ſic Naſo locutus.

O s *finita producuntur. vt* Flos, Mos, Ros, Nepos, Dominos, Os oris, *&c.*

Exceptiones.

I. *Corripiuntur* Compos, Impos, Os oſſis. *ſic* Epos *compoſitum.*
Os oris loquitur: ſed os oſſis roditur ore.

II. *Græca per ο micron ſcripta:* Hyſſopos, Synodos, Tenedos, Delos, Arctos, Chaos, Epos, Melos, Argos.

Et Genitiui, Pallados, Lampados, Heroos, Tethyos, Erinnyos.

Sed Attica in o s, *quorum Genitiuus* o *longum habet, vt* Apollos, Androgeos, Heros, Minos, *& ſimilia, producuntur: quia Græcè ſcribuntur per ω magnum.*

V s.

V s breue ponatur. Produc Monoſyllaba. produc
V s Quartæ, præter Rectos numeri anterioris.
Produc V s odis, V ris, & V dis, & V tis
& V ntis:
Græcorū Patrios quibus addito, quale Calypſus,
Et quorum Quintus manet u; ceu nomē I e s v s.

V s *in fine corripitur. vt* Dominus, Meus, Tempus, hic & ô Fructus, Amamus, Docemus, Intus, Pamphagus, Polypus Polypi.

Exceptiones.

I. *Producuntur Monoſyllaba.* Grus, Sus, Mus, Pus, Rus, Plus, *&c.*

II. *Caſus in* V s *Quartæ declinationis, præter* Nominatiuum *& Vo-*

& Vocatiuum singulares. vt Huius, hi, hos, *&* ô Fructus.
III. *Producuntur in* V S *Tertiæ declinationis habentia in Genitiuo* ODIS, VRIS, VDIS, VTIS, *vel* VNTIS.
ODIS. *vt* OEdipus, Polypus, Tripus, Melampus, *&c.*
VRIS. *vt* Tellus. *& monosyllaba* Rus, Thus, *&c.*
VDIS *producunt* Subscus, Incusque, Palusque.
VTIS *producunt Patrio,* Virtusque, Salusque, *&c.*
VNTIS *habent Græca locorum nomina. vt* Trapezus, Opus, Amathus, Emaus.
IIII. *Producuntur etiam Genitiui Græci in* VS. *vt* Huius Didus, Clius, Calypsus, Sapphus, *&c.*
V. *Producuntur postremò Nominatiui in* VS, *quorum Vocatiuus desinit in* u. *vt* Iesus, Panthus.

Obseruet puer OEdipus *&* Polypus *interdum flecti per Secundam declinationem, & tum vltimam Nominatiui esse breuem.*

Palus *etiam semel ab Horatio corripitur.*

T.

Corripe T, licet in verbis aliquando sit anceps.

In T *finita corripiuntur. vt* Caput, Dat, Iacet, Dicit, Dormit, Ait, Vt, Sicut, Velut, *&c.*

EXCEPTIO.

T *in verbis aliquando producitur.*
Ouidius, Nox abiit, oriturque, *&c.*
Idem, Non adiit aptè, nec legit, *&c.*
Idem, Interiit, at vos pro fama, *&c.*
Horatius, Perrupit Acheronta, *&c.*
Idem, Cùm grauius dorso subiit onus, *&c.*
Ouidius, Arduus in nubes abiit &, *&c.*

Huiusmodi licet generali cæsura possent excusari, correptio tamen multo fuerit tutior.

Est vbi Crasis seu contractio huiusmodi excuset.
Iuuenal. Magnus ciuis obît, & formidatus Othonî, *pro* obiit.

Virgilius, Sceptra Palatini, sedemque petît Euandri. *pro* petiit.

Peregrina in T *apud Hebraeos etiam producuntur. vt* Lot, Iosaphat: *quia scribuntur illis per Vocalem longam.*

ANNOTATIONES.

Atque hactenus quidem de Prima, Media, & Vltima syllabae quantitate breuiter, vt Epitomes ipsius requirit ratio, dictum sit.

Porrò regulas illas speciales, quas de Primarum Mediarumq; syllabarum quantitate tradunt hoc loco plerique Prosodiae scriptores, post caput Tertium potius subiiciendae nobis videbantur: quòd eae videlicet pueris nec praelegendae sint, nec iisdem ediscenda, atque ob id ordine & loco ab aliis Praeceptis disiungendae.

Nunc prius quàm ad caput Secundum accedamus, adiiciendae Appendices aliquot de Syllabis Communibus: tum etiam de Metrica Necessitate, & Licentia Poëtica.

DE SYLLABIS COMMVNIBVS.

De Primis communibus.

Nomina quaedam, maximè Propria, non eandem perpetuò quantitatem retinent. Vnde Primae syllabae in his ferè sunt ancipites:

Adamus, Britannus, Cacus, Cosyra, Cyane,
Diana, Eous, Gradiuus, Pachynus, Pituita.
Simon, Silenus, Strigilis.
Sic Sichaeus *apud Virgilium*, Pyrene *pro monte.*

Fidenae, Curetes, Orion, *apud alios Poëtas primam interdum producunt, interdum corripiunt.*

Sicanus & Italus *apud Virgilium*, Arabs *apud Propertium primam natura possident breuem: Sed in Deriuatiuis* Sicania, Italia, Arabia *eadem producitur; alioqui in Heroicum carmen non venirent.*

De Me-

De Mediis Communibus.

In his Media communis est, Æneis, Batauus, Butyrum, Cyane, Cybele, Chorea, Malea, Sicanus.
Sic Orionis, Ægeonis, Bebrycis, Syphacis, Dauidis, *communem habent penultimam.*

Apulia, OEnotria, Euripides, Ionius, Sidonius *variant antepenultimam.*

In Calefacio, Frigefacio, Liquefacio, Madefacio, Tepefacio, *&c. Vocalis e breuis est, & interdum longa.*

In Quotidie *primam Catullus producit: Martialis corripit. In eodem, syllabam* Ti *Terentius producit: Catullus corripit.*

In Quandoque o *producitur: In* Quandoquidē *corripitur.*

Sed in huiusmodi non omnium auctoritas est sequenda, sed probatissimorum. In multis etiam Deriuatio, aut huius artis regula, aut denique varietas orthographiæ est obseruanda.

De Vltimis Communibus.

A. *Numeralia in* GINTA: *Sed Virgilio sæpius producta.*

E. *Vocatiui* Achille, Vlysse, *rectius producti.*

Imperatiuus Caue: *Sed* Vale *&* Vide *rectius producuntur.*

I. Mihi, Tibi, Sibi: *Sed* Vbi, Ibi, Nisi, Quasi, *&* Cui *disyllabum sæpius correpta.*

O *finita. vt* Homo, Amo, Quando, *&c.*

Item Serò, *&* Verò *Coniunctio, non Aduerbium.*

Ambo, Duo, Ego, Scio, Nescio, *sæpius correpta.*

Illicò, Citò, Immo, Modò *cum Compositis sæpius correpta.*

C. Hic *Pronomen: Sed Aduerbium producitur.*

T. Abiit, Adiit, Interiit, Subiit, *sæpius correpta.*

De Necessitate metrica.

Necessitas metrica cogit aliquando poëtas breues producere. Id fit aliquando in carmine heroico, quando sunt tres breues continuè. vt in Italia, Priamides, Arabia, *&c.*

Virgilius, Ibitis Italiam, *&c. & alibi sæpius.*
Idem, Atque hic Priamiden laniatum, *&c.*
Propertius, Et domus intactæ te tremit Arabiæ.

De Licentia Poëtica.

Poëtæ etiam nulla cogente necessitate syllabis interdum abutuntur, quam vocant Licentiam Poëticam: Vnde sunt illa Præterita media breui.

Virgilius, Matri longa decem tulĕrunt.
Idem, Obstupui stetĕruntque comæ.
Horatius, Dij tibi diuitias dedĕrunt.
Silius, Terruĕrunt pauidos, *&c.*

De Licentia Poëtica præceptiones tres:

Quibus vtentur pueri non in carminibus suis componendis, sed in veterum Poëtarum metiendis.

I.

Diphthongus, & Vocalis longa fiunt communes, cùm Vocalem diuersæ dictionis præcedunt.

Breues.

Virgilius, Insulæ Ionio in magno, *&c.*
Idem, Simoënta sub Ilio alto.
Idem, Credimus an qui amant.
Horatius, Si me amas inquit.
Propertius, Tu quoque ô Eurytion, *&c.*

Longæ.

Virgilius, Ante tibi Eoæ Atlantides, *&c.*
Idem, Stant & iuniperi, & castaneæ. *&c.*
Idem, Lamentis, gemituque, & femineo vlulatu.
Idem, Et succus pecori, & lac subducitur agnis.
Iuuenalis, Si fur displiceat Verri, homicida Miloni.
Ouidius, O ego quantum egi, *&c.*

Breues & Longæ in eodem versu.

Virgilius, Glauco & Panopeæ & Inoo Melicertæ.
Idem, Ter sunt conati imponere Pelio Ossam.

Mono-

II.

Monosyllaba breuia interdum à Poëtis more Græcorum producuntur.

Virgilius, Liminàque, laurusque Dei. *&c.*
Iuuenalis, Et animam, & mentem. *&c.*

III.

Syllaba breuis post primos quatuor pedes, maximè secundum & tertium relicta, non numquam à Poëtis producitur.

Post pedem I.

Virgilius, Pectoribus inhians, *&c.*
Idem, Oratis equidem & viuis, *&c.*
Tibullus, Respueris etiam Phœbo, *&c.*
Iuuenalis, Quis nescit, aut quis non vidit.
Idem, Occulta spolia, & plures, *&c.*
Silius, Immane stridens agitur, *&c.*
Martialis, Et digna speculo fiet, *&c.*
Idem, Méque sinus omnis, me manus omnis habet.

Post II. pedem.

Virgilius, Omnia vincit amor; & nos, *&c.*
Idem, Nostrorum obruimur, oriturque, *&c.*
Idem, Emicat Euryalus, & munere, *&c.*
Idem, Nam tibi Thymbre caput Euandrius, *&c.*
Martialis, Maximus ille tuus Ouidi Cæsonius hic est.
Idem, Det tunicam diues, ego te præcingere possum.
Statius, Namque senex Thetidi Proteus prædixerat vdæ.
Ouidius, Nomen amicitia, nomen inane fuit.
Tibullus, Te canit agricola magna cum veneris vrbe.

Post III. pedem.

Virgilius, Vna eademque via sanguis animusque sequuntur.
Idem, Ostentans artem pariter arcumque sonantem.
Idem, Dona dehinc auro grauia sectoque elephanto.
Idem, Congredior, fer sacra pater, & concipe fœdus.
Statius, Ne qua det indignos Thetidi captiua nepotes.

Post IIII.

Virgilius, Ille latus niueum molli fultus hyacintho.
Idem, Muneribus tibi pampineo grauidus autumno.
Idem, Graius homo infectos linquens profugus Hymenæos.

DE PEDIBVS METRICIS,

CAPVT SECVNDVM.

Pes est certa quædam & apta syllabarum comprehensio:

Quæ Pes dicitur à genere mensuræ, quòd nimirum carmina certis pedibus, hoc est, mensuris dimetimur.

Porrò sicut vna syllaba pedem nequit efficere, quòd in ea non sit arsis seu pedis in initio elatio, & thesis, id est, eiusdem depreßio siue demißio; sic nec pes vnus Versum potest efficere.

Est enim Versus plurium pedum legitima quædam constitutio.

sic dictus à vertendo; quòd, donec recte constituatur, & legitimos suos accipiat numeros, nunc hoc, nunc illo vertatur modo. Latinis & Carmen dicitur à canendo; quòd canibus sit aptum; Græcis verò Stichos, & hinc Stichologia dici potest, ipsa versificandi ratio.

Græcis præterea Metron dicitur, quòd metris, hoc est, mensuris seu dimensionibus constet: & hinc Pes metricus, & Oratio metrica.

Pedes à non nullis enumerantur CXXIII. sed solùm nouem sunt aut decem, quorum erit vsus in hoc libro; quos cùm pueri tamquam nomen suum tenere debeant, primùm in tabella spectandos exhibebimus: Deinde pro adiuuanda memoria paucis & dilucidis versiculis exponemus: reliquos verò omnes ad Annotationes reyciemus.

Dissyllabi IIII.
- *Spondeus* – – Clemens.
- *Pyrrhichius* ◡ ◡ Deus.
- *Trochæus* – ◡ Mater.
- *Iambus* ◡ – Dies.

Trissylla-

Trisyllabi IIII. { *Dactylus* — ∪ ∪ Carmina.
Anapæstus ∪ ∪ — Superi.
Tribrachys ∪ ∪ ∪ Canite.
Molossus — — — Æneas. }

Tetrasyllabi II. { *Proceleusmaticus* ∪ ∪ ∪ ∪ Relegite.
Choriambus — ∪ ∪ — Omnipotens. }

Versus.

Spondeum faciet dissyllaba dictio longa.
Pyrrhichium contrà dissyllaba dictio curta.

Longa breuisq. dabunt tibi syllaba ritè Trocheũ.
Prima breuis, pòst longa sequẽs formabit Iambũ.

Dactylus ingreditur longa, breuibúsq. duabus.
Bina breuis, pòst longa sequens gignunt Anapæstum.

Tresque breues Tribrachyn, formant lòngæque Molossum.

Vult Proceleusmaticus breuibus constare quaternis.

Longa, duæq. breues, & longa creant Choriambum.

Spondeus constat duabus syllabis longis, vt Clemens.
Pyrrhichius contrà duabus breuibus. vt Deus.
Trochæus priore longa, & altera breui, vt Mater.
Iambus contrà priore breui, & altera longa, vt Dies.
Dactylus constat prima longa, & duabus breuibus.
Anapæstus contrà. Reliqua explicatione non egent.

ANNOTATIONES.

Alter pedum typus priore fusior & locupletior, ex quo cognoscetur qui sint pedes ἰσόχρονοι, hoc est, æqualium temporum.

- *Syllabæ*
  - *Breui, tempus vnum:*
  - *Longæ, duo tempora tribuuntur.*

- *Disyllabi*
  - *2.temporum.* *Pyrrhichius* ∪ ∪ Deus.
  - *3.temporum.*
    - *Trochæus* – ∪ Solus.
    - *Iambus* ∪ – Parens.
  - *4.temporum.* *Spondeus* – – Verax.

- *Trisyllabi*
  - *3.temporum.* *Tribrachys* ∪ ∪ ∪ Dominus.
  - *4.temporum.*
    - *Dactylus* – ∪ ∪ Vnicus.
    - *Amphibrachys* ∪ – ∪ Benignus.
    - *Anapæstus* ∪ ∪ – Patiens.
  - *5.temporum.*
    - *Bacchius* ∪ – – Iacentes.
    - *Amphimacrus* – ∪ – Excitans.
    - *Antibacchius* – – ∪ Solamen.
  - *6.temporum.* *Molossus* – – – Oppressis.

- *Tetrasyllabi*
  - *4.temporum.* *Proceleusmaticus* ∪ ∪ ∪ ∪ Cole Deum.
  - *5.temporum. Pæon*
    - *Primus* – ∪ ∪ ∪ Viue pius.
    - *Secundus* ∪ – ∪ ∪ Tene modum.
    - *Tertius* ∪ ∪ – ∪ Petit vmbram.
    - *Quartus* ∪ ∪ ∪ – Mala gerens.
  - *6.temporum. Ionicus*
    - *Minor* ∪ ∪ – – Amat auras.
    - *Maior* – – ∪ ∪ Viuens bene.
    - *Ditrochæus* – ∪ – ∪ Vitet iram.
    - *Diiambus* ∪ – ∪ – Timens nefas.
    - *Choriambus* – ∪ ∪ – Multa senex.
    - *Antispastus* ∪ – – ∪ Videns discit.
  - *7.temporum. Epitritus*
    - *Primus* ∪ – – – Volant horæ.
    - *Secundus* – ∪ – – Currit ætas.
    - *Tertius* – – ∪ – Curas leua.
    - *Quartus* – – – ∪ Vitæ finis.
  - *8.temporum.* *Dispondeus* – – – – Præsto mors est.

De

De Pedum appellatione.

Spondeus *à motu appellatus, dicitur & Herous, Deliacus, & Gradiuus: ab Ausonio Lentipes. Hoc olim pede vtebantur canentes in sacrificiis.*

Pyrrhichius *ab vsu, nempe à saltatione dicitur.*

Trochæus, *Rufino Cursor, Aristoteli Rotulus, Rotatilis & Mercurius. Hic Ciceroni & Quintiliano Choreus dicitur. vnde Dichoreus sicut Ditrochæus.*

Iambus, *à Rufino Cursor, dicitur, A Terentiano Præpes, Ab Ausonio Volucripes. Habet enim cum superiori nomen suum à volubilitate.*

Dactylus, *qui & Herous, à similitudine nomen habet: quia incipit à longa, & desinit in duas breues.*

Anapæstus *Dactylus retroactus dicitur.*

Tribrachys *à breuitate temporis nomen habet.*

Amphimacrus, *dicitur etiam Creticus.*

Pæon, *siue Paan dicitur. &c.*

De Pedum differentia.

Pedum alij sunt
- *Grandes vel stabiles, propter tarditatem, & pondus. vt, Spondeus, Molossus, Creticus.*
- *Temperati & intermedij seu mobiles, propter æqualitatem. vt, Iambus, Trochæus, Dactylus, Anapæstus.*
- *Humiles seu tenues, & muliebre quid habentes, ob nimiam scilicet celeritatẽ: quales sunt qui è breuibus constant syllabis. vt Pyrrhichius, Tribrachys, Amphibrachys. qui si miscentur, currunt; si continuantur, exsultant.*
- *Acres, vt qui è syllabis breuibus ad longas assurgunt. vt, Anapæstus, & Ionicus minor.*
- *Lenes, qui è longis in breues descendunt. vt Dactylus, & Ionicus maior.*

DE DIVERSIS CARMINVM GENERIBVS.

CAPVT TERTIVM.

Carminum genera vsitatiora { Hexametrum, Pentametrum, Iambicum, Trochaicum, Sapphicum, Adonium, Phalæcium, Anapæsticum, Asclepiadeum, Glyconicum.

Genus Carminis hic voco ipsum nomen carmini inditum: vt Heroicum, Elegiacum, Iambicum, Trochaicum, Sapphicum, &c.

Impositionis verò nominum variæ fuerunt rationes.

Aliàs enim appellantur ab inuentoribus, seu auctoribus, qui ea maximè frequentarunt.

Aliàs à materia, aliàs à pede crebriore, aliàs aliunde, vt sequẽtes docebunt Annotationes.

ANNOTATIONES.

Ab Inuentore { Phalæcium, Sapphicum, Adonium, Asclepiadeum, Glyconicum, Pherecratium, Pindaricum, Aristophanicum, Alcmanicum, Alcaicum, Archilochium, Hipponactium, &c.

A Materia, { Heroicum, Elegiacum, Satyricum, Comicum, Tragicum, Bucolicum, Georgicum, Epitaphium, Epicedium, Epinicium, Epithalamium, Genethliacum, &c.

A pede crebriore, { Dactylicum, Iambicum, Trochaicum, Anapæsticum, Choriambicum, Ionicum, Pæonicum, Antispasticum.

A numero syllabarum, { Pentasyllabum. vt Adonium. Heptasyllabum. vt Glyconicum. Hendecasyllabum. vt Phalæcium.

A numero versuum, { Distichon, Tetrastichon, Hexastichon, Ogdoastichon, Decastichon; &c.

A Com-

A Compositione,
- Monocôlon, Latinè Vniforme seu Vnimembre, quod cõstat ex vno genere carminis, vt cùm omnia Hexametra, Iambica, vel Asclepiadea sunt.
- Dicôlon, quando duo carminum genera miscentur: vt Hexametrum cum Pentametro, Glyconicum cum Asclepiadeo.
- Tricôlon, cùm tria miscentur genera.
- Sic Tetracôlon cùm quatuor.

A Reuersione,
- Distrophon, cùm post secundum versum ad prius genus reuertimur, vt in Elegiacis.
- Tristrophon, cùm post tertium versum fit ad primum reditus.
- Tetrastrophon, vbi post quartum versum reditur ad primum. Exempla sunt apud Horatium, qui vltra hunc numerum non excedit.
- Pentastrophon, cùm post quintum versum fit regressio ad primum. Exempla apud Prudentium in Romano, & in Eulalia.

A Depositione,
- Catalecticum,
- Acatalectum,
- Brachycatalectum,
- Hypercatalectum,

postea explicanda.

A Mensura,
- Monometrum,
- Dimetrum,
- Trimetrum,
- Tetrametrum,
- Pentametrum,
- Hexametrum.

infrà declaranda.

De carmine Hexametro.

Hexametrum carmen variis nominibus appellatur.

Heroicum dicitur, quòd Heroum & magnorum principum res gestæ hoc genere carminis potissimùm describuntur.

Est enim magnificum & augustum, & proinde rebus magnis aptissimum. Vnde duo omnium celeberrimi Poetæ Homerus & Virgilius hoc genere præcipuè vsi sunt.

Dactyli-

Dactylicum vocatur à Dactylo pede principali & dominante. Hexametrum denique appellatur à sex metris, id est, mensuris. Constat enim sex pedibus, qui singuli singulas mensuras habent.

Hexametrum carmen pedibus sex cōstat. Et vsq.
Dactylus est Quintus. Spondeum Sextus habeto.
Deinde locis aliis ponatur vterlibet horum.

Carmen Hexametrum recipit primis quatuor locis indifferenter Dactylum vel Spondeum, pedes scilicet æqualium temporum. Quinto loco solum Dactylum. Sexto solum Spondeum. Est igitur talis eius constitutio:

1	2	3	4	5	6
−∪∪	−∪∪	−∪∪	−∪∪	−∪∪	−−
−−	−−	−−	−−		

Panditur interea domus omnipotentis Olympi.
Olli sedato respondit corde Latinus.

Hos autem versus ita metiemur:

Panditur−∪∪ intere−∪∪ a domus−∪∪ omnipo−∪∪ tentis o−∪∪ lympi.−−
Olli−− seda−− to re−− spondit−− corde La−∪∪ tinus.−−

Nunc prius quàm alia carminum genera exponamus, adiiciemus hoc loco non nulla quæ carmen scriptura cum venustate & gratia ignorare nulli liceat.

Obseruationes.

I. Vltima cuiusque est communis syllaba versus.

Vltima syllaba cuiuscunque versus est anceps seu communis. Ideo licet vltima syllaba superioris versus Hexametri,

Olli sedato respondit corde Latinus,

natura breuis sit, non tamen est Trochæus sexto loco, sed Spondeus.

II. De

II. *De fine versus Hexametri.*

Versus Hexameter clauditur
- *eleganter dictione*
  - *Disyllaba. vt* Voluere casus.
  - *Trisyllaba. vt* Tot adire labores.
- *durius & minus concinnè*
  - *Monosyllaba, nisi altera præcedat monosyllaba. vt* O pater, & Rex.
  - *Vel sit nomen animantis,* Procumbit humi bos.
  - *Vel nomen alicuius rei magnæ,* Præruptus aquæ mons.
  - *Duabus disyllabis. Horatius,* Est tibi mater.
  - *Tetrasyllaba. vt* Extremi Garamantes.
  - *Pentasyllaba. vt* Terrai frugiferai.

III. *De versu Spondaico.*

Poëtæ non numquam quinto loco, qui propriè Dactylum requirit, Spondeum ἐμφατικῶς vsurpant; à quo huiusmodi versus Spondaici appellantur.

Sed in his tum obseruandum, vt quarto loco præcedat Dactylus, ne nimia fortasse metri tarditas aures offendat.

Virgilius, Cara Deûm soboles, magnum Iouis incrementū.
Idem, Pallantis proaui de nomine Pallanteum.
Propertius, Sunt apud infernos tot millia formosarum.

Illa verò Virgiliana minus vsitata sunt:

Aut leues ocreas lento ducunt argento. *&,*
Saxa per & scopulos & depressas conualles.

Vbi Spondeus insuauiter quarto loco ponitur.

Conferunt verò versus Spondaici ad exprimendam alicuius rei difficultatem, grauitatem, aut maiestatem, seu dignitatem.

Item ad exprimendum aliquem affectum, seu motum animi.

Aut denique ad rem aliquam nouam, vel inopinatam significandum.

Virg. Cum patribus, populoque, penatibus, & magnis diis.

Catullus,

Catullus, Æquoreæ monstrum Nereides admirantes.

Sed cauendum diligenter in huiusmodi, ne bona aliorum exempla ineptè & passim imitemur. Crebrior enim affectatio, vt in aliis multis, ita hic quoque vitiosa est.

Porrò vt quinto Spondeus, ita sexto loco reperitur aliquando Dactylus: à quo talis versus, Dactylicus quoque est appellatus. vt,

At tuba terribilem sonitum procul excitat horrida, &c.

Sidera pallida diffugiunt face territa luminis.

Sed huiusmodi nobis nequaquam sunt imitandi.

IIII. *De pedibus propriis carminis Hexametri.*

Apta pedum connexio & varietas est præcipuum carminis Heroici & Elegiaci ornamentum. Versus enim longi qui ex solis Spondeis fiunt, nimis tardè incedunt.

Qui verò ex solis constant Dactylis, feruntur nimis celeriter.

Iucunda est igitur horum pedum vicissitudo & quasi temperamentum. vt,

Ille meas errare boues vt cernis, & ipsum,

Ludere quæ vellem calamo permisit agresti.

Illud quoque laudi ducitur, si pedes omnes quasi catenula quadam cohæreant, vt fit etiam in superiori disticho.

Et in Pentametris Ouidius:

Vulgus amicitias vtilitate probat. &,

Si qua venit serò, magna ruina venit.

Magna in Poëta virtus est, carmina rebus ipsis accōmodare, & eligere nunc tardos, nunc celeres pedes, pro rerum diuersitate.

Syllabæ longæ plus habent ponderis & grauitatis: Breues verò plus celeritatis.

Spondeis igitur potissimum vtendum, cùm tarditatem & quasi rerum quandam difficultatem indicare volumus.

Ouidius, Nituntur longo vestigia ponere cliuo.

Propertius, Quid me scribendi tam vastum mittis in æquor?

Item

Item cùm vel res vel personas graues describimus, aut inducimus.
Virgilius, Túne ille Æneas quem Dardanio Anchisæ.
Idem, Olli sedato respondit corde Latinus.

Dactylis verò vtendum potius in rebus contrariis, vt cùm celeritas, & quasi impetus quidam est exprimendus.
Virgilius, Inde vbi clara dedit sonitum tuba, finibus omnes,
Haud mora, prosiluere suis: ferit æthera clamor.

Item in re læta & alacri Dactylis vtendum.
Tibullus, Namq. agor vt per plana citus sola verbere turbo.
Idem, Quisquis amore tenetur, eat tutusque sacerque.

Ante omnia enim tum in rebus, tum in verbis considerandum est Decorum ipsum, quod τὸ πρέπον dicitur. Alia enim alias personas decent.

Verba aspera & dura rebus tristibus & duris conueniunt: Leuibus verò & mollibus leuia & mollia: Lætis dulcia.
Omnia denique verbis exæquanda sunt. De quo pulcrè Horatius, in arte Poëtica.

— Tristia mæstum,
Vultum verba decent, iratum plena minarum
Ludentem lasciua, seuerum seria dictu.

Sic apud Propertium,
Vt nostris tumefacta superbiat Vmbria libris.
Ipse versus incessu superbo & fastuoso sensum explicat.

De Hexametri carminis pedibus, Impropriis & Peregrinis.

Pedes omnes cum Improprij, tum Peregrini vitandi sunt.
Improprij sunt aut Resolutione, aut Inuersione.

Resolutione, vt Dactylus resoluitur in Proceleusmaticum, quem Primo, Secundo, & Quinto loco interdum ponunt Poetæ.
Virgilius, Genua labant, vastos quatit æger anhelitus artus.
Idem, Hærent parietibus scalæ, postesque sub ipsos
Nituntur gradibus.
Idem, Tenuia nec lanæ per cælum vellera ferre.

Inuer-

Inuersione, vt cùm Anapæstus, qui Dactylo contrarius est, pro Dactylo ponitur; quod fit apud Virgilium & Horatium primo loco, alibi secundo; & apud Lucretium & Prudentium sexto.
Virgilius, Fluuiorum rex Eridanus, campósque per omnes, *&c.*
Horatius, Vehemens & liquidus, puróque simillimus amni.
Lucretius, Quippe etenim ventus subtili corpore tenuis, *&c.*

Peregrini pedes sunt, quibus aut luxatur, aut extenditur numerus.

Luxatur vel minuitur numerus Iambo & Trochæo: quos apud Virgilium quarto loco inuenias. Et Tribrachy, quem idem vsurpat loco secundo, & tertio, vt & Ouidius.
Virgilius, Dona dehinc auro grauia, sectóque elephanto.
Idem, Rumpe moras omnes, turbatáque arripe castra.
Idem, Pleiadas, Hyadas, clarâmque Lycaonis arcton.
Idem, Si pereo manibus hominum, periisse iuuabit.

Sed id ferè fit, vt vides in locis Cæsuræ.

Extenditur, augetúrque apud antiquissimos pedibus sex: Cretico, Amphibrachy, Bacchio, Pæone Primo, Secundo, & Quarto.

Verùm huiusmodi sæpenumero per Cæsuram, aut tamquam figuratè posita excusantur. Exempla verò, quia hæc pueris imitanda non sunt, breuitatis caussa omittimus.

V. *De mensione carminis, quam vulgò vocant Scansionem.*

Mensio carminis, est legitima carminis per singulos pedes quasi commensuratio quædam.

Fit autem hæc Mensio duobus modis.

I. *Per pedes singulos, quam Monopodiam vocant, qua vtimur in Hexametris & Pentametris.*

II. *Per pedes coniunctos seu Dipodiam, cùm duo pedes ponuntur pro vna dimensione: quod fit in Iambicis Trochaicis, &, vt multis placet, Anapæsticis. Qua de re plura suis locis.*

VI. *De Figuris carmini seruientibus, tum Prosodicis, tum Orthographicis.*

Figuræ carmini seruientes continentur nomine Metaplasmi.

Est

Est autem Metaplasmus figura mutans vocis Orthographiam aut Prosodiam, caussa metri, vel decoris.

Eius species enumerantur quindecim. Nouem nimirum Orthographicæ, de quibus paulo inferiùs: & sex Prosodicæ, de quibus nunc ordine.

In Prosodicis figuris explicandis primùm ea dicemus quæ statim nunc omnes scire oporteat: deinde quæ subtilioris sunt obseruationis, ac temporis proinde posterioris, ad Annotationes remittemus.

Figuræ carmini seruientes sunt XV.	*Prosodicæ, quæ in dimetiendis versibus vsurpantur, sunt sex:*	*Ecthlipsis, Synalœpha, Synæresis, Diæresis, Systole, Diastole.*
	Orthographicæ, quæ dictioni litteram vel syllabam addunt, adimunt, aut certè immutãt, sunt nouem:	*Prothesis, Aphæresis, Epenthesis, Syncope, Paragoge, Apocope, Antithesis, Metathesis, Tmesis.*

De Ecthlipsi & Synalœpha.

In versuum dimensione duæ in primis sunt obseruandæ figuræ: Ecthlipsis videlicet & Synalœpha. Versiculus.

M necat Ecthlipsis, ceu Vocalem Synalœpha.

Ecthlipsis est, quando finalis littera M, *cum sua Vocali præcedente eliditur & quasi absorbetur à Vocali aut Diphthongo dictionis sequentis. Latini vocant Elisionem.*

Virgilius, Italiam, Italiam primus conclamat Achates.

Quod sic legendum, Itali' Italiam, *&c.*

Idem, Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.

Quem versum sic metiemur ac in pedes suos resoluemus:

Monstr' hor, rend' in, form' in, gens cui, lumen ad, emptũ.

Synalœpha est, cùm Vocalis aut Diphthongus in fine dictionis à sequenti Vocali vel Diphthongo quasi deletur & oblitteratur. Latinis Collisio appellatur.

Virgilius, Conticuere omnes,intentique ora tenebant.
Quem metiemur hoc modo:
Conticu,er' o, mnes in, tenti, qu' ora te, nebant.

O *tamen & Heu à vocali sequente non absorbentur.*
Virgilius, Te Corydon, ô Alexi, trahit sua quemque voluptas.
Horatius, O & præsidium, & dulce decus meum.
Papinius, Heu vbi nunc furiæ.

Non absorbentur præterea Interiectiones Hei, Ah, Vah, Væ, Prô, *&* Io.
Ouidius, Et bis io Arethusa, io Arethusa vocauit.

Adhibentur autem hæ duæ figuræ hiatus vitandi gratia & inconcinnæ asperitatis.

In Ecthlipsi & Synalœpha quinque cauenda sunt.

I. *A multis durísque Collisionibus & Elisionibus omnino est abstinendum, tum facilitatis, tum pulcritudinis gratia. Quid enim horridius illo Catulliano,*
Troia, nefas, commune sepulcrum Europæ, Asiæque.
Troia virûm & virtutũ omniũ acerba cinis. *& hoc altero,*
Quam modò qui me vnum atque vnicum amicũ habuit.

II. *Cauendum etiam ne plures duabus in eodem vsurpentur versu, nisi fortè gratiam afferre videantur, vt in illo Virgilij,*
Monstrum horrendum, informe, ingens, cui, *&c.*

Nec pueris trahendum in exemplum & regulam, quod ob certam aliquam rationem præclara ingenia sibi interdum concesserũt.

III. *Cauendum præterea ne Horatij exemplo ab Elisione exordiamur; ea enim maximè deformatur initium versus.*
Horatius, Nam vt ferula cædas meritum maiora subire.
Idem, Dum ex paruo nobis tantundem haurire relinquas.

IIII. *Vitanda est tum Elisio, tum Collisio in Cæsura Penthemimeri. de qua dicemus infrà, post Figuras Orthographicas.*
Horatius, Impetret & pacem & locupletem frugibus annũ.
Propertius, Herculis Antæique Hesperidumque choros.

Nam hæc apud excellentes poëtas rariora sunt, quàm vt à pueris temerè & vbiuis sint vsurpanda.

V. *In fine Quinti pedis versus Hexametri nihil temere est elidendum: Notandáque potius sunt, quàm imitanda, quæ apud Horatium & alios interdum reperiuntur.*

Horatius, Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus.

Annotationes
De Ecthlipsi & Synalœpha.

Ecthlipsis & Synalœpha figuræ sunt finitimæ. Quemadmodum enim Synalœpha Vocales, sic Ecthlipsis consonantes elidit.

Fit autem hoc vsitatè in littera M, *quam vetustissimi tamen peculiari quadam licentia non perpetuò interimebant.*

Ennius, Insignita ferè tot millia militum octo.

Lucretius, Corporum officiũ est quoniam premere omnia deorsum.

Iuuenalis, Viuendum rectè, tum propter plurima, tum his Præcipuè caussis.

Antiqui etiam litteram S elidere interdum consueuerunt.

Ennius, Spernitur orator bonus, horridus miles amatur.

Idem, Vicit olympia, nunc senio confectus quiescit.

Cæcilius, Vicimus ô socij, & magnam pugnauimus pugnam.

Quin & Virgilius litteram S cum Vocali præcedente absumpsit.

Inter se coiisse viros & decernere ferro.

Vbi in dimensione legendum,

Inter, se coi, isse vi, r' & de, cernere, ferro.

Sed Seneca & Seruius legunt, cernere ferro. *quod magis Ennianum esse videtur.*

Huc pertinent & illa Comica: Vin', *pro* vísne. Viden', *pro* vidésne. Audin', *pro* audísne. *& similia; quæ cuiuis etiam permissa sunt: superiora verò nequaquam.*

In Synalœpha verò est obseruandum, Græcorum imitatione Vocalem huiusmodi aut Diphthongum non semper absorberi: sed interdum manere productam, interdum contractam seu breuem.

Productam. Virgilius,

Amphion Dircæus in Actæo Aracyntho.

Idem, Stant & iuniperi & castaneæ hirsutæ.

Idem, Lamentis gemituque & femineo vlulatu.

Ouidius, Iactari quos cernis in Ionio immenso.

Breuem. Virgilius,
Credimus? an qui amant, ipsi sibi somnia fingunt.
Idem, Insulæ Ionio in magno. *&c.*
Idem, Et longum formose vale, vale, inquit, Iola.
Idem, Implerunt montes, flerunt Rhodopeiæ arces.
Idem, Tuque ô Thybri, tu ô genitor cum flumine sancto.

Committitur etiam Synalœpha; & Ecthlipsis in Hypermetris seu Hypercatalectis, in quibus superest in fine syllaba.

Solet autem Virgilius versui Hypermetro subdere versum à vocali incipientem: ac tum Vocalis aut diphthongus, vel M cum sua vocali, in fine præcedentis versus posita, intercipitur & absorbetur à Vocali, aut diphthongô versus proximè sequentis.

Virgilius, Ecce furens animis aderat Tirynthius, omnemque
Accessum lustrans.
Idem, Quem non incusaui amens hominumque Deorumque,
Aut quid in euersa vidi crudelius vrbe?
Idem, Inseritur vero ex fetu nucis arbutus horrida,
Et steriles platani malos gessere valentes.
Idem, Et spumas miscent argenti, viuaque sulfura
Idæasque pices.
Idem, Aut dulcis musti Vulcano decoquit humorem,
Aut foliis vndam tepidi despumat aheni.

Interdum syllaba superuacanea cum præcedenti contrahitur per Synizesin. vt,
Atria dependent lychni laquearibus aureis. *&,*
Bis patriæ cecidere manus, quin protinus omnia
Perlegerent oculis.
Tibullus, Rure leuis verno flores apis ingerit alueo.

Constringit Crasis; Distracta Diæresis effert.

Synæresis seu Crasis, est contractio duarum syllabarum in vnam. Hanc Græci peculiariter vocant Synecphonesin, Synizesin, atque Episynalœphen. vt Suaue rubens hyacinthus, Suaue *disyllabum, pro trisyllabo.* Iniuria Thesei, *pro* Thesei, *trisyllabo.*
Virgilius, Aluearia vimine texta. *tetrasyllabum, pro pentasyllabo.*
Idem, Et furias Aiacis Oilei, *pro* Oilei, *tetrasyllabo.*
Varro, Deiectum fulmine Phæthon, *pro* Phaëthon.

III. *Obser-*

III. *Obseruationes de Crasi.*

In Crasi seu Contractione monendi sunt pueri opus esse delectu & auctoritate veterum, cauendúmque proinde ne in quibusuis sibi istuc licere existiment.

Inprimis notanda sunt illa in quibus contractio vocalium sit vsitatior, quàm diuisio. Cuiusmodi ferè sunt hæc quæ sequuntur.

I. *Nomina quædam & Pronomina.* Dij, Diis, ij iidem, iis iisdem, Cui, Huic, Semihomo, Semianimis.

Lucanus, Dij vota secundent.

II. *Verba.* Deerat, Deerit, Deerunt, Deesse, Anteit, Anteambulo.

Prendo *verò &* Prenso, *etiam sæpe scribuntur imminuta.*

III. *Aduerbia.* Dein, Deinde, Deinceps, Dehinc, Vsqueadeò, Antehac: *& apud Priscos*, Deorsum, Seorsum.

Diæresis, siue Dialysis, est vnius syllabæ in duas diuisio, seu distractio. vt Aulai, *pro* aulæ. *Item* Suasit, Sueuit, Suetus, Sueuus, Siluæ, *trisyllaba.*

Persoluenda, Dissoluenda, *pentasyllaba.*

Catullus, Pristina vota nouo munere dissoluo.

Idem, Condita quin verè pectoris euoluam.

Systola sic breuiat longam, atque Diastola contrà.

Systola est, cùm syllaba naturâ longa corripitur.

Virgilius, Obstupui, stetĕruntq. comæ, & vox faucibus hæsit.

Idem, Matri longa decem tulĕrunt fastidia menses.

Idem, Polydorum obtruncat, & auro
Vi potitur. *pro* potĭtur.

Sic non nulli in Idolum, Mamona, Iacobus, Salome, Samaria, *& similibus penultimam licenter corripuêre, seruientes consuetudini imperiti vulgi.*

Diastola seu Ectasis, est productio syllabæ naturâ contractæ.

Virgilius, Exercet Diana choros.

Idem, Italiam Italiam primus conclamat Achates.

Diana *enim &* Italia *naturâ primam corripiunt.*

Sic in Arabia, *&* Priamides, *prima naturâ breuis legitur producta per Diastolen, quòd aliter carmen ingredi non posset.*

De figuris Orthographicis.

Poëtarum proprium est, verbis quibus vtuntur Oratores aliquid interdum addere vel detrahere, non numquam litteras alias aliis permutare, aliquando è proprio loco in alium transferre.

Datur autem hæc venia Poëtis propter carminis difficultatem, vt metro seruientes impune lineas, & oratorum loquendi leges non nihil transiliant.

Quod vitium in oratione soluta Barbarismus dicitur: Sed in carmine excusatur, & vocatur Metaplasmus: quòd scilicet illa vetus verborum forma necessitate metri, vel caussa ornatus in nouam quasi figuram & sermonis faciem mutetur.

Huius igitur rei gratia inuentæ sunt figuræ istæ Orthographicæ, quæ quid sibi singulæ velint, paucis verbis exponemus.

Apponit Prothesis capiti: Sed Aphæresis aufert.

Prothesis est appositio litteræ vel syllabæ ad principium dictionis.
Litteræ. vt Gnatus, *pro* natus. Gnauus, *pro* nauus.
Syllabæ. vt Tetulì, *pro* tuli. Conscribere librum, *pro* scribere.
Aphæresis, cùm à principio dictionis aufertur aliquid.
Vt, Pone metum, *pro* depone.
Temnere diuos, *pro* contemnere.
Linquere castra, *pro* relinquere.
Ruet omnia latè, *pro* eruet.

Syncopa de medio tollit: Sed Epenthesis addit.

Syncope est ablatio litteræ vel syllabæ è medio dictionis.
Vt Deûm, *pro* Deorum. Pericla, *pro* pericula.
Dixti, *pro* dixisti. Redij, *pro* rediui.
Sic Accestis, Commôrit, Surpuerat, Repostum, *&c.*

Epen-

Epenthesis est interpositio litteræ vel syllabæ in media dictione. vt Relligio, *pro* religio. *Sic* Relliquiæ, Repperi, Reppuli, Rettuli, Simillimus, Nauita, Mauors, Alituum: *& Iuuenalis,* Barbarus Induperator. *Sunt huiusmodi & alia plura, quæ puer non temere imitabitur, etiam minus ausurus in effingendis nouis.*

Aufert Apocope finem: sed dat Paragoge.

Apocope est ablatio litteræ vel syllabæ à fine dictionis. vt, Peculi, *pro* peculij. Parce metu, *pro* metui. Tun', *pro* tune. Nostin', *pro* nostine. Hymen, *pro* Hymenæus. Immitis Achilli, *pro* Achillis.

In Apocope primam produximus per Diastolen, quòd alioquin carmen ingredi non posset.

Paragoge seu Prosparalepsis est, cùm ad finem dictionis aliquid apponitur. vt, Huiusce, *pro* huius. Potestur, *pro* potest. *Sic cùm syllaba* er *apponitur Infinitiuis in* i, *à verbis in* or. *vt* Dicier, Dominarier, vestirier; *pro* Dici, *&c.*

Antithesis fiet tibi, littera si varietur.

Antithesis seu potius Antistœchon est, cùm littera pro littera ponitur. vt Optumus, *pro* optimus. Volgus, *pro* vulgus. Olli, *pro* illi. Vpilio, *pro* opilio. Impete, *pro* impetu. *Figura est Græcis vsitatissima.*

Fit Meta ritè thesis, si transponas elementum.

Metathesis est transpositio litterarum. vt, Euandre, *pro* Euander. Thymbre, *pro* Thymber. *Nisi malis esse vocatiuos à nominatiuis* Euandrus, *&* Thymbrus.

Vocem interiectis aliis Tmesis secat aptè.

Tmesis seu Sectio est vocabuli diuisio, vna dictione, aut pluribus interiectis. vt,
Est Boreæ regio Septem subiecta trioni.
Horatius, Quo me cumq. feret tempestas, deferor hospes.

Terentius, Thais maximo te orabat opere, vt cras redires.
Ennius, Saxo cere comminuit brum.
Quod postremum non est imitandum; quia in dictionibus simplicibus Tmesis non est amplius vsitata.

Hæc de Schematibus Orthographicis sufficiant: quæ quamuis à Poëtis potissimùm vsurpentur, pleraque tamen & Oratoribus seruiunt. cuiusmodi sunt, Deûm, Momordi, Cucurri, Amasti, Redij. *sic* Cos, *pro* Consul; *& his similia.*

Admonitio de figuris superioribus.

Admonendi sunt pueri, vt caueant ne quid in figuris superioribus tam Prosodicis quàm Orthographicis vsurpandum sibi putent, nisi quod multorum vsu iam receptum sit, & à doctis approbatum. Nec enim licet cuiuis in poëmate ludicro, quod in opere magno principes Poëtæ sibi sumpserunt.

De Cæsura seu Inciso.

Cæsura, quæ Diomedi Sectio, Prisciano & Seruio Comma dicitur, est decora versus incisio, cùm post pedem aliquem superest syllaba, quæ dictionem finiat: sic dicta, quòd ea versus cadatur ac diuidatur: vt,

Tityre tu patulæ recubans, *&c.*
Arma, virúmque cano Troiæ, *&c.*

Cæsuræ sunt quatuor species, { *Triemimeris, Penthemimeris, Hephthemimeris, Enneemimeris.*

Sed ex his Penthemimeris & Hephthemimeris, vt cæteris sunt magis vsitatæ, ita sunt maiori in carmine ornamento.

Triemimeris est, cùm post primum pedem superest syllaba, quæ dictionem finiat: vt,
Nequitiam meditantur opes.

Penthemimeris est, cùm post duos pedes superest syllaba, quæ dictionem terminet. sic dicta, quòd quinque semipedes contineat,

hoc

hoc eſt, duos pedes & ſyllabam: vnde Cæſura Semiquinaria dicitur.

Claudianus, Scilicet in vulgus manant exempla potentum.

Hephthemimeris eſt, cùm poſt tres pedes relinquitur ſyllaba dictionem finiens. ſic dicta, quòd ſeptem ſemipedes contineat, hoc eſt, tres pedes, & ſyllabam. Dicitur hæc Cæſura Semiſeptenaria.

Hanc Cæſuram ſolus Hexameter verſus recipit. ſed altera ferè Cæſura initio ſecundi pedis præcedente.

Virgilius, Ille meas errare boues, vt cernis, & ipſum
Ludere, quæ vellem, calamo permiſit agreſti.

Enneemimeris eſt, cùm poſt quatuor pedes ſyllaba dictionem finiens ſupereſt. conſtat hæc ex nouem ſemipedibus, hoc eſt, quatuor pedibus & ſyllaba.

Virgilius, Ille latus niueum molli fultus hyacintho.

De Cæſuris ſex ſunt pueris obſeruanda:

I. *Quòd Cæſurarum tanta virtus ſit & elegantia, vt verſus eo melior cenſeatur, quo plures habeat Cæſuras.*

Tibullus, Caſta placent ſuperis, pura cum veſte venite.

Durior verò eſt, & quaſi titubans, qui Cæſuris caret.

Horatius, Præter cetera Romæ méne poëmata cenſes
Scribere?

Lucilius, Has res ad te ſcriptas Luci miſimus Æli.

Tale eſt, Nos præceptor iuſſit doctos ſcribere verſus.

II. *Ineptiſſimi quoque verſus ſunt, in quibus ſingulæ dictiones ſingulos pedes conſtituunt: vt,*

Vrbem fortem nuper cepit fortior hoſtis. &,
Doctus nobilis atro ſemper rarior ouo.

III. *Elegantiſſimi verò ſunt, in quibus nullus pes integra conſtat dictione.*

Virg. Semper honos, nomenq́. tuum, laudesq́, manebunt.
Idem, Non ignara mali miſeris ſuccurrere diſco.

IIII. *Cæſura tanta virtus eſt & gratia, vt per eam interdum ſyllabæ breues producantur, præſertim per Penthemimerim, quæ omnium habetur elegantiſſima.*

Propter Cæsuram breuis est producta licenter.
Virgilius, Omnia vincit amor, & nos cedamus amori.
Tibullus, Te canit agricola, magna cùm venerit vrbe.
Ouidius, Nomen amicitia, nomen inane fides.

Rarius per Hephthemimerim.

Virgilius, Ostentans artem pariter arcumque sonantem.
Idem, Vi propria nitentur opis haud indiga nostræ.
V. *Triemimeris & Enneemimeris necessaria non sunt, quæ tamẽ interdum syllabam extendisse legimus.*
Virgilius, Pectoribus inhians, &c.
Idem, Inualidus etiam, &c.
Idem, Ille latus niueum molli fultus hyacintho.

Sed huiusmodi licentia nec temerè, nec paßim est imitanda.

Illud postremò est obseruandum,

VI. *Penthemimeris est propemodum necessaria versibus*
- *Hexametris,*
- *Pentametris,*
- *Sapphicis,*
- *Asclepiadeis,*
- *Et quibusdam aliis.*

De carmine Pentametro.

Pentametrum vult quinq. pedes. Pes Tertius esto
Semper Spõdeus: Quartus Quintusq́. Anapęstus.
In reliquis Spondeus erit, vel Dactylus, vt vis.

Pentametrum carmen vt à quinque mensuris nomen habet, ita etiam quinque constat pedibus, diuiditúrque in duo hemistichia, id est, versus dimidiatos.

Prius constat duobus Dactylis, vel Spondeis, vel his mistis, & syllaba longa, quæ dictionem finiat.

Posterius verò duobus Dactylis, & syllaba, quæ cum altera prioris hemistichij syllaba Spondeum conficit, etiam si posterior semipes constet syllaba breui. Nam, vt suprà dictum est,
Vltima cuiusque est communis syllaba versus.

Versus

Verſus igitur Pentametri hæc eſt conſtitutio.

1	2		3	4	5
— ∪ ∪	— ∪ ∪	—	— ∪ ∪	— ∪ ∪	—
— —	— —				

Vt, Tardiùs aut propiùs mors ſua quemque manet.
Et, Non eſt è terris mollis ad aſtra via.
Et, Res mihi non ſemper, ſpes mihi ſemper adeſt.
Et, Naturæ ſequitur ſemina quiſque ſuæ.

Obſeruationes aliquot.

I. *Prius Hemiſtichium abſoluitur ſyllaba longa, quæ dictionem finiat. Nam Cæſura Penthemimeris, hîc, vti diximus, neceſſaria eſt, & vitioſum eſt hoc carmen à Diomede poſitum,*
Hæc quoque noſtræ ſententia mentis erat.
Nec tale apud Poëtas meliores facilè queas inuenire.

II. *Eliſio & Colliſio in omni Cæſura Penthemimeri ſunt duriuſculæ, vt in ſuperiori verſu Catulliano,*
Troia virûm & virtutum omnium acerba cinis.
Et alibi, Illam affligit odore, ipſe perit podagra.
Item, Nec deſiſtere amare, omnia ſi facias.

III. *Neutrum Hemiſtichiũ aptè deſinit in dictionẽ monoſyllabam.*
Catullus, O dij reddite mî hoc pro pietate mea.
Idem, Aut facere, hæc à te dictaque factaque ſunt.

Hinc duæ ſunt exceptiones.

I. *Cùm eam altera monoſyllaba antecedit.*
Ouidius, Præmia ſi ſtudio conſequar iſta, ſat eſt.

II. *Aut cùm in dimenſione cooleſcit cum dictione præcedente, ídque per Colliſionem: vt,*
Nomina mutarunt, hic Deus, illa Dea eſt.

De fine verſus Pentametri.

IIII. *Pentameter verſus clauditur dictione diſyllaba elegantiſſimè.*
Propertius, Non datur ad Muſas currere lata via.

Rarius

Rarius sed non vitiosè, { *Tetrasyllaba. Martialis*, Dantur opes nullis nunc nisi diuitibus.
Pentasyllaba. Ouidius, Lis est cum forma magna pudicitiæ. }

Trisyllaba duriusculè, nisi impetus quidam, aut affectus, vel sententia exprimatur.

Propertius, Et caput impositis pressit amor pedibus.

Vel nisi præcedat Monosyllaba.

Propertius, Adfueram vestris conscius in lacrymis.

Martialis, Aut docuit lusus hos Thetis, aut didicit.

Vel in Epigrammatis, vbi sensus argutia magis spectatur.

Martialis, Deliciæ populi qui fuerant domini.

Monosyllaba omnium durissimè.

Martialis. Sunt hæc trita quidem Zoile, sed mea sunt.

V. *Pentameter versus cum Hexametro coniũctus carmẽ conficit Elegiacum, quod nunc omnium vsitatissimum est.*

Sed obseruandum in eo, vt vno Disticho perfectus sensus absoluatur.

Ouidius, Gentibus est aliis tellus data limite certo.
Romanæ spatium est vrbis & orbis idem.

Idem, Iam seges est vbi Troia fuit, resecandaque falce,
Luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus.

Est tamen vbi sententia suspenditur, vt vel disticho sequenti, vel etiam tertio absoluatur.

Ouidius in querela Nucis,

At postquàm platanis sterilem præbentibus vmbram,
Vberior quauis arbore venit honor;
Nos quoque fructiferæ, si nux modò ponor in illis,
Cœpimus in patulas luxuriare comas.

Idem, Siue malum potui tamen hoc vitare cauendo,
Seu ratio fatum vincere nulla potest:
Tu tamen ô nobis vsu iunctissime longo,
Pars desiderij maxima pænè mei;

Sis

Sis memor, & si quas fecit tibi gratia vires,
Illas pro nobis experiare, rogo.

Sed illud maximè cauendum est, ne post duos versus ita pendeat sententia, vt verbum in tertium vsque versum reseruetur.

VI. *Carmen Elegiacum seruiebat olim luctibus, doloribus & querelis, hoc est, rebus solùm tristibus: Paulatim verò res processit, vt rebus ferè quibuslibet accommodetur; præcipuè tamen in quibus mæroris aliquid continetur.*

Dicitur enim elegiacum ab ἔλεγος, quod luctum: Vel ἐλέγεια, quod mæstum poëma significat. Vnde Terentianus,

Hos Elegos dixere, solet quod clausula talis,
Tristibus, vt tradunt, aptior esse modis.

De Versibus aliquot Lyricis.

Lyrica carmina sic appellantur, quòd olim ad lyræ modulos canebantur. Ea antiquitus ad heroum fortia gesta, & Deorum encomia adhibebantur: tandem verò & symposia & reliqua argumenta his describi cœpta sunt.

De carmine Iambico.

Iambicum carmen ex pede Iambo, qui in eo principatum tenet, nominatur. Recipit tamen præter hunc pedem legitimum plures alios.

Sed vt omnia, quæ ad carminis genus spectant, melius intelligantur; visum est hîc quædam annotare.

I. *Syllaba longa resoluitur sæpè in duas breues, quæ sunt æqualis omnino temporis cum syllaba longa.*

Sic pro Iambo, resoluta posteriore longa in duas breues, Tribrachys subiicitur, & pro Spondeo nunc Anapæstus, nunc Dactylus, nunc etiam Proceleusmaticus.

II. *Loci carminum alij pares sunt, vt Secundus, Quartus, Sextus, Octauus: Alij impares, vt Primus, Tertius, Quintus, Septimus; ita vocati à pari & impari numero.*

Carmen igitur Iambicum recipit omnibus locis, tam imparibus quàm paribus Iambum; & ex resolutione Iambi Tribrachyn, excepto vltimo loco, qui semper Iambum habere debet.

Locis verò imparibus, ad temperandam Iambi celeritatem, admittit etiam Spondeum, atque ex eius resolutione Anapæstum, Dactylum, & interdum Proceleusmaticum, pedes videlicet æqualium temporum, vt ex subiecto hoc Schematismo facilè potest intelligi.

Carminis Iambici Schematismus.

1	2	3	4	5	6	7	8
u -	u -	u -	u -	u -	u -	u -	u -
u u u	u u u	u u u	u u u	u u u	u u u	u u u	.
- -		- -		- -		- -	
u u -		u u -		u u -		u u -	
- u u		- u u		- u u		- u u	
uuuu		uuuu		uuuu		uuuu	
rarò.		rarò.		rarò.		rarò.	
Monometrũ		Dimetrum,		Trimetrum,		Tetrametrũ	

Illud verò Iambicum est optimum, quod ex solis Iambis constat. Proximum verò, quod Iambis alternatim admistos habet Spondeos. vt,

Suis & ipsa Roma viribus ruit.

Item, Nam sera non est ad bonos mores via.

Iambici carminis quatuor fecere formas.

Monometrum, Dimetrum, Trimetrum, Tetrametrum.

Monometrum vocant quod habet vnam mensuram: sed pedes duos. vt Virtus beat.

Dimetrum, quod duas habet mensuras: sed pedes quatuor. vt, Virtus beatos efficit.

Trime-

Trimetrum, quod tres habet mensuras; sed pedes sex:
Ad gloriam virtus per alta nititur.

Tetrametrum, quod constat mensuris quatuor; sed pedibus octo:
Parant perennem gloriam virtus & eruditio.

Cuiuscunque verò formæ fuerint, necesse est vt vltimo loco semper Iambus constituatur: vel eius loco Pyrrhichius; quia vltima cuiuslibet versus syllaba est communis.

De carminis Iambici dimensione.

Quod ad Dimensionem porrò attinet, Latini in Iambicis & Trochaicis à Græcis dissentiunt.

Nam Latini metiũtur hos versus per Monopodiam singulis pedibus; Græci verò Dipodiam duobus pedibus simul iunctis.

Est enim Dipodia duorum pedum in vnam dimensionem comprehensio.

Vnde quos Græci Monometros, Dimetros, Trimetros, & Tetrametros appellant, à numero mensurarum binos pedes comprehendentium, Latini vocant Binarios, Quaternarios, Senarios, Octonarios, ex numero pedum. Quos tamen versus etiam per Dipodiam sæpe metiuntur.

Puer autem initio omne genus carminis singulis pedibus metietur, donec vsu maiorem sibi peritiam collegerit.

Ex his autem quatuor formis vsitatissimi sunt versus Dimetri & Trimetri. Dimetri quidem in Hymnis Ecclesiasticis. vt,

Veni creator spiritus.
Iam lucis orto sidere.
Te lucis ante terminum.
Quem terra, pontus, æthera, *&c.*

Trimetri verò, vt & Tetrametri, in Comœdiis & Tragœdiis, in quibus plurimus est vsus carminis Iambici; quia ad res humiles & sublimes potest accommodari.

Congruit tamen etiam Insectationibus, Inuectiuis & Conuiciis: ac proinde in Epigrammatis est vsitatum.

Versus

Versus Iambicus Trimeter est duplex, { *Rectus, &* / *Claudicans.*

Rectus est qui Sexto loco semper Iambum recipit.

Seneca, Non est ad astra mollis è terris via.

Claudus siue Claudicans, Graecè Scazon & Choliambus, & ab Auctore Hipponacteus, qui quinto loco semper Iambum, & Sexto Spondeum recipit.

Catullus, O quid solutis est beatius curis?

Persius, Nec fonte labra prolui Caballino,
Nec in bicipiti somniasse Parnasso
Memini, vt repentè sic poëta prodirem.

Scazonte multum vtitur Martialis, vt ad conuiciandum in primis apto.

Obseruanda est hîc etiam Depositio, qua scilicet cognoscimus, an versus Absolutus sit, an Deficiens, vel Redundans.

Sunt autem quatuor Depositionis genera: { *Acatalectum,* / *Catalecticum,* / *Brachycatalectum,* / *Hypercatalectum.*

Acatalectus versus dicitur, qui legitimo fine clauditur, cùm videlicet nihil deest vel superest. vt,
Musæ Iouis sunt filiæ.

Catalecticus, cui ad perfectionem deest in fine syllaba. vt,
Musæ Iouis sorores.

Brachycatalectus, cui desunt in fine duæ syllabæ. vt,
Musæ Iouis gnatæ.

Hypercatalectus, qui & Hypermeter, cui superest vna in fine syllaba. vt, Musæ sorores sunt Mineruæ:
Vel totus pes, Musæ sorores Palladis lugent.

Hypercatalectus etiam aliquando dicitur, cui in medio superest vna syllaba. vt,
O quàm glorifica luce coruscas!
Vbi post duos priores pedes abundat in medio syllaba.

De

De carmine Trochaico.

Trochaicum carmen, Hymnis, Comœdiis, & Tragœdiis aptum, vbique Trochæum recipit, imparibus locis necessarium; cuius tamen loco admittit vbique Tribrachyn, excepta regione vltima, quæ recipit tantum Trochæum.

Sed in locis paribus eosdem recipit pedes quos Iambicum in Imparibus, nempe Tribrachyn, Spondeum, Anapæstum, Dactylum, Proceleusmaticum, præter Iambum, quem versus Trochaicus numquam potest recipere, quemadmodum nec Iambicus Trochæum.

Trochaici carminis constitutio.

1	2	3	4	5	6	7	8
– ∪	– ∪	– ∪	– ∪	– ∪	– ∪	– ∪	– ∪
∪ ∪ ∪	∪ ∪ ∪	∪ ∪ ∪	∪ ∪ ∪	∪ ∪ ∪	∪ ∪ ∪	∪ ∪ ∪	
	– –		– –		– –		
	∪ ∪ –		∪ ∪ –		∪ ∪ –		
	– ∪ ∪		– ∪ ∪		– ∪ ∪		
	∪∪∪∪		∪∪∪∪		∪∪∪∪		
Monometrũ		*Dimetrum,*		*Trimetrũ,*		*Tetrametrũ*	

Est autem carmen Trochaicum non minus varium quàm Iambicum. Sed vsitatissimum est Tetrametrũ, seu Octonarium, Catalecticum, Monocolon, Tristrophon. vt Prudentius hymno nouo Cathemerinon:

Ipse iussit, & creata; dixit ipse, & facta sunt;
Terra, cælum, fossa ponti, trina rerum machina;
Quæque in his vigent sub alto Solis & Lunæ globo.

Alij tamen vsitatissimum putarunt Dimetrũ Acatalectum, Dicolon Distrophon cum Catalectico. Exemplum erit si carmen superius diuiseris in duos versiculos:

Ipse iussit, & creata;
Dixit ipse, & facta sunt.

Est verò illud obseruandum, Trochaicũ Catalecticũ mutari in

Iambicum Acatalectum si Trochaico vna præponatur syllaba. vt,
Crux fidelis inter omnes arbor vna nobilis.
O crux fidelis inter omnes arbor vna nobilis.

ANNOTATIONES.

De Iambicis & Trochaicis Comicis, seu mixtis.

Poëtæ Comici vt quotidianum sermonem imitarentur, & populi plausum captarent, orationemq́; prosæ simillimam redderent, locis omnibus in vtroque carminis genere præter Iambum & Spondeum pedes proprios, vsurpant promiscuè improprios pedes quatuor, Tribrachyn, Spondeum, Anapæstum, Dactylum, excepta vltima regione, quam in Iambicis Iambus, in Trochaicis Trochæus semper occupat.

Exemplum Iambici Trimetri Acatalecti habes Scen. 1. Act. 1. Andriæ,
Quod plerique omnes faciunt adolescentuli. *& quæ sequuntur.*
Trochaici verò Tetrametri Catalectici Scen. 4. Act. 1. eiusdem Comœdiæ,
Audiui Archillis iam dudum: Lesbiam adduci iubes. *&c.*

Sed hæc Comicorum & Tragicorum veterum licentia est, quam licet Græci Tragici & Latinus Seneca non putarint sibi concedendam, non video tamen cur in Dialogis vel Comœdiis Terentiana libertas nobis negari posset.

Illud postremum sit. Comici vt populo similiores fierent, nec ab eius sermone multùm recederent, pro personarum & temporis ratione & respectu miscent interdum Iambicis Trochaicos, Octonariis Senarios, Catalecticis Acatalectos.

De carmine Anapæstico.

Anapæsticum carmen appellatur ab Anapæsto pede principali, quem locis omnibus recipere potest, & huius vice Dactylum vel Spondeum pedes æqualium temporum. Atque hi reperiuntur ita promiscuè, vt sæpe versus occurrant, in quibus nullus est Anapæstus; & tamen versus vocantur Anapæstici.

Spondeo Dactylus in Dimetris eleganter ac concinnè præponitur: duriùs verò Dactylo Spondeus.

Carmen est familiare Tragicis rem lugubrem tractantibus, quo illi in Choris sæpe vtuntur.

Obseruandum verò est, versus Anapæsticos puros nullam habere

Cæsuram. Nam quod in cæteris vitiosum est, id in Anapæsticis bonum est & laudabile.

Quin & Diomedi optimus est versus ille Anapæsticus, in quo singula verba singulos pedes constituunt.

Typus carminis Anapæstici.

1	2	3	4
∪∪–	∪∪–	∪∪–	∪∪–
––	––	––	––
–∪∪	–∪∪	–∪∪	–∪∪

Boëthius metro secundo libri tertij Consolationum Philosophiæ:

Quanta rerum flectat habenas
Natura potens, quibus immensum
Legibus orbem prouidum seruet, *&c.*

Carmen est Tetrametrum Acatalectum.

Apud Senecam, qui solus exstat Tragicorum Latinorum, hoc genus carminis ferè Dimetrum est, vt in Hercule furente,

Certo veniunt
Ordine Parcæ.
Nulli iusso
Cessare licet:
Nulli scriptum
Proferre diem.
Recipit populos
Vrna citatos.

Carmen hoc Senecæ, vt facilè constat ex percussione Musica, Anapæsticum, vt dixi, Dimetrum duobus constans pedibus.

Si verò sic legas, vt vulgò excusum reperitur,

Certo veniunt ordine Parcæ,
Nulli iusso cessare licet, *&c. erit Tetrametrum.*

Ceterũ quidam metiuntur quoq. Anapæstica, quemadmodum Iambica & Trochaica, per Dipodiam duobus pedibus simul iunctis.

Quos si sequaris, Monometra dices ea Senecæ & similia carmina, quæ modò appellauimus Dimetra, & vocabis Dimetra, quæ nobis dicuntur Tetrametra.

Vsitatissima verò sunt Dimetra Catalectica & Acatalecta, atq. Trimetra Catalectica.

Porrò in Anapæsticis inuenitur interdum pes improprius Proceleusmaticus: quod obseruandum potius quam imitandum, sed tribuendum licentiæ poëticæ.

De carmine Sapphico.

Quinque pedes Sapphus carmen capit, esse Trochæus
Vult Primus, Quartusq́ & Quintus: Tertius autē
Dactylus. Ipse locum sumes Spondee Secundum.

Carmen Sapphicum à Sappho puella Lesbia inuentrice nomen habet. Est autem vndecim syllabarum, ideóque Hendecasyllabum aliquando appellatur, & constat quinque pedibus.

Primo enim loco recipit Trochæum, Secundo Spondeum, Tertio Dactylum, Quarto & Quinto Trochæum. hoc modo,

1	2	3	4	5
—∪	——	—∪∪	—∪	—∪

Horatius, Mouit Amphion lapides canendo.

Penthemimeris hoc carmen valde commendat, & exornat, habétque iucundam & suauem harmoniam, si legitimè constituatur.

ANNOTATIONES.

Apud Senecam Tragicum reperitur in huius versus prima sede Anapæstus & in secunda Iambus, idq; in eodem versu. Alibi & in secunda sede Anapæstus.

Catullus secundo loco alterum Trochæum interdum posuit, qui Cæsuram quoque non rarò omittit, quæ tamen hic versus plurimùm, vt diximus, commendatur.

Sed hanc licentiam pueri cauebunt temerè imitari: quemadmodum & illam Horatianam, quæ in fine versus interdum syllaba vna aut altera redundat, quæ ad sequentem versum referatur.

De carmine Adonio.

Carmini Sapphico ferè post tres versus annectitur versus Adonius, recipiens priore loco Dactylum, & posteriore Spondeũ. Horat.

Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus, & celsæ grauiore casu
Decidunt turres, feriúntque summos
Fulmina montes.

Exstant etiam passim carmina quæ solis versibus Adoniis constant. Boëthius libro primo,

Nubibus atris
Condita nullum
Fundere possunt
Sidera lumen. *&c.*

Hoc carmen vocatur Adonicum monocolon; in quo pueri initio exerceri poterunt.

In coniungendis autem diuersi generis versibus, nihil audendum nobis est, sed veterum spectanda sunt exempla.

De carmine Phalæcio, seu, vt alij, Phaleucio.

Cùm facies carmen quod composuisse Phalæcus
Dicitur, in Prima Spondeus erit regione.
Dactylus inde, cui triplicem subiunge Trochæũ.

Carmen Phalæcium, quod peculiari nomine Hendecasyllabum dicitur, ab vndecim quibus constat syllabis, à Phalæcio dictum putant, qui primus Cererem hoc genere carminis celebrauit, vt Terentianus docet.

Recipit eosdem pedes quos Sapphicum, sed aliter constitutos; nempe Primo loco Spondeum, Secundo Dactylum, Tertio, Quarto, & Quinto Trochaum. hoc modo:

1	2	3	4	5
– –	– ∪ ∪	– ∪ ∪	– ∪ ∪	– ∪ ∪

Exornatur hoc carmen & venustius redditur cæsura Penthemimeri. Ausonius, Istos composuit Phalæcus olim,

Qui Penthemimerin habent priorem.

Hæc tamen cæsura interdum abesse legitur, sed non sine harmoniæ iactura.

Martialis, Terrarum Dea gentiúmque Roma,

Cui par est nihil, & nihil secundum.

In quibus & illud obseruabis, quòd, cùm abest Penthemimeris, Dactylus secundo loco dictionem ferè terminat.

Apud Catullum recipit hoc carmen primo loco interdum Trochæum, sed rarius, quàm vt vbiuis sit imitandum.

De carmine Asclepiadeo, seu Choriambico.

Vult Asclepiadis versus Spondeon habere
Principio: binos hinc ritè capit Choriambos.
Pyrrhichius sequitur, quo non velocior alter.

Carmen Asclepiadeum dicitur ab Asclepiade poëta, qui hoc genus carminis vel inuenit, vel maximè celebrauit.

Choriambicum appellatur à pedis Choriambi dominio. Vocatur etiam coniunctim Choriambicum Asclepiadeum.

Recipit primo loco Spondeum, Secundo & Tertio Choriambum, Quarto Pyrrhichium.

1 2 3 4
— — —∪∪— —∪∪— ∪∪

Horatius, Mæcenas atauis edite regibus.

Prudentius, Inuentor rutili dux bone luminis.

Sed quia hoc carmen necessariò requirit cæsuram Penthemimerim, licebit hoc etiam modo metiri:

Vt Primo loco sit Spondeus, Secundo Dactylus, Tertio Cæsura, hoc est, syllaba longa, quæ dictionem finiat; Quarto & Quinto Dactylus, ad hunc modum:

1 2 3 4 5
— — —∪∪ — —∪∪ —∪∪

Lauinus

Lauinus Brechtus in Euripo,

Luxus, deliciæ, pompaque sæculi,
Fasces, nobilitas, stemmata, purpura,
Nomen, diuitiæ, fluxaque gloria,
Ecquid sunt aliud, quàm vana gloria?

Hoc carmen inter Lyrica non infimum locum obtinet. Nam principibus & magnis viris accommodari consueuit.

Si huius carminis fini adijcias syllabam, fiet Pentametrum, hoc modo,

Doctos Pieridum disce lubens modos.
Doctos Pieridum disce lubens modulos.

Aliud genus carminis Choriambici.

Est & aliud genus versus Choriambici non nihil à priore distãs: quod recipit Primo & Secundo loco vel Dactylum, vel Spondeum, Tertio Cæsuræ syllabam longam, Quarto Dactylum, Quinto Spondeum. hoc modo: *Boëthius,*

Heu quàm præcipiti mersa profundo
Mens hebet, & propria luce relicta
Tendit in externas ire tenebras, *&c.*

Carmen hoc vocatur Choriambicum; quia ante vltimam eius syllabam semper inuenitur Choriambus.

Vocatur etiam Alcmanium Dactylicum, Tetrametrum, Hypercatalectum. Alcmanium ab Alcmane inuentore; Dactylicum à pede principali; Tetrametrum à numero pedum; Hypercatalectum, quòd post duos pedes priores syllaba in medio redundat.

De carmine Glyconico.

Glyconicus versus etiam ab inuentore nomen accepit, habétque facilem ac simplicem satis compositionem.

Recipit autem in Prima regione Spondeum, Secunda & Tertia Dactylum.

1 2 3
— — — ∪ ∪ — ∪ ∪

Seneca, Illi mors grauis incubat,
Qui notus nimis omnibus,
Ignotus moritur sibi.

Quidam sic metiuntur huiusmodi versus, vt constent Spondeo, Choriambo, & Pyrrhichio. hoc modo,

1 2 3
— — — ∪ ∪ — ∪ ∪
Rex est qui posuit metus.

Hoc carmen rarò solum ponitur; sed sæpe cum Asclepiadeis vicissim permutatur, ita vt Asclepiadeus Glyconico nunc præponatur, nunc subijciatur.

Interdum tribus Asclepiadeis adiungitur quartus Glyconicus. Sæpe duobus Asclepiadeis subijcitur tertius Pherecratius & quartus Glyconicus. Exempla sunt Ode 3. 5. & 6. Carm. apud Horatium.

ANNOTATIO.

Carmen Glyconicum recipit aliquando pedes improprios. In prima enim regione inuenitur interdum Trochæus, rarius verò Iambus.
Marullus, Iane vatis amor tui.
Idem, Pigebat dare strenuo.

De carmine Pherecratio.

Pherecratius versus constat ex Spondeo, Dactylo, & Spondeo.

1 2 3
— — — ∪ ∪ — —
Reges purpura vestit.
Illi mors grauis instat. *&c.*

In prima sede reperitur sæpe Trochæus loco Spondei.

De alio quodam carminis genere.

Vnum præterea est carminis genus apud Horatium in primis elegans, quo tantopere est delectatus, vt inuenisse credatur.

Constat

Constat autem quatuor versibus, quorum primi duo sunt Dactylici Alcaici acatalecti, qui recipiunt primo loco indifferenter Iambum vel Spondeum, Secundo Iambum, Tertio syllabam longam in cæsura, Quarto & Quinto Dactylum. hoc modo,

1 2 3 4 5
◡– ◡– – –◡◡ –◡◡
––

Tertius versus est Iambicus Archilochius dimeter hypercatalectus, constans quatuor pedibus, Primo & Tertio vel Iambo, vel Spondeo: Secundo & Quarto solùm Iambo. Deinde superest syllaba, hoc modo,

1 2 3 4
◡– ◡– ◡– ◡– ◡
–– ––

Quartus autem Dactylicus Alcaicus Acatalectus, constans duobus Dactylis, & duobus Trochæis. hoc modo,

1 2 3 4
–◡◡ –◡◡ –◡ –◡

Horatius, Vides vt alta stet niue candidum
Soracte, nec iam sustineant onus
Siluæ laborantes, gelúque
Flumina constiterint acuto. *&c.*

Idem, Dulce & iucundum est pro patria mori.
Mors & fugacem persequitur virum,
Nec parcit imbellis iuuentæ
Poplitibus, timidóque tergo, *&c.*

Atque hæc ferè sunt carminum genera, quæ primæ puerorum institutioni sufficere putamus: nam reliqua, vt Antispastica, Ionica maiora, & huiusmodi alia, Latini Poëtæ vix attigerunt.

Cetera verò Horatiana hic omisimus, quòd Horatius in omnium sit manibus, in quo omnium metrorum rationes à viris doctis explicatæ sunt. Quæ verò reliqua sunt, inuestigare licebit studiosis apud

sis apud eos quos de iis accuratè & doctè scripsisse inuenire poterunt. Instituta enim à nobis breuitas non patitur hac nos prolixius hoc loco persequi.

De primis scribendi carminis experimentis.

Superest vt incipiat nunc puer admouere manum operi. Exercendo enim omnes artes quantumuis difficiles comparantur.

Ceterum ne in primis statim experimētis difficultate absterreatur, & ab hoc studio resiliat; facilem & expeditam indicabo viam, quam puer ingressus, arduum initio Parnaßi adscensum reddet sibi leuiorem ac faciliorem.

Tria sunt ad comparandam Poëtices facultatem necessaria.

I. *Aßidua optimorum Poëtarum lectio.*

II. *Eorundem diligens imitatio.*

III. *Quotidiana scribendi exercitatio.*

Quæ tria cùm studium poëticum valde promoueant, discipulis frequenter inculcanda sunt.

Prima versificandi ratio hæc sit. Post superiora præcepta iam satis cognita, proponetur puero carmen aliquod solutum, vt in pristinam suam formam reuocet ac numeris suis restituat. vt exempli caussa, ex Bucolicis Virgilij,

Parue puer incipe cognoscere matrem risu.

Ex Lucano, Primi muri maduerunt fraterno sanguine.

Ex Psalmis Iacobi Latomi, Deus parce castigare me rigido furore.

Ex Psalmis Ant. Flaminij, Deduco carmina Dauidis ad Musas Latias.

II. *Cùm eadem verba pluribus modis poßint in carminis formam redigi, præceptor commonstrabit, quid suo decenter positum loco: quid loco mouendum sit. Quid elegans, sonorum, ac suaue: quid indecorum, durum, & asperum. Denique quid aptum, quid ineptum sit.*

III. *Cùm superiore exercitatione puer iam satis instructus fuerit, assuescet tum paulatim scribendis versiculis breuioribus, vt Adoniis, Pherecratiis, Glyconicis, Anapæsticis, atque ita pedetentim ad Hexametros, & Elegiacos progredietur.*

Sed in his primis experimentis puer de tribus frequenter admonendus est.

Primùm, vt assuescat statim obseruare Cæsuras.

Deinde, vt carmen ipsum aptè finiatur.

Postremò, vt vitet crebras ac duras tum Collisiones, tum Elisiones.

Materiam carminis licebit primùm petere ex AEsopi fabulis, quæ elegantius Latinè versæ sunt.

Vel ex facilioribus Luciani dialogis.

Vel ex Apophthegmatis, & vtilibus ad vitam sententiis, ac locis communibus.

Vel denique ex ipsis sacris Euangeliis, eáque verbis electis & aptè fluentibus puer exornabit.

IIII. *Porrò ad facultatem in scribendo comparandam non inutile fuerit ex Oda aliqua Horatiana Elegiam facere, vel Epigramma aliquod, aut Apophthegma, aut insignem aliquam sententiam alio atque alio genere carminis reddere, & sæpius refingere.*

Sed de his nos plura libro Secundo Institutionum scholasticarum Classe Secunda, vbi agimus de exercitatione styli in carmine.

V. *Necessarium in primis est, vt elegans ac venustum scripturus carmen, bonos ac castos poëtas diligenter & assiduè lectitet: à quibus numeros, verborum copiam, & carminis totius genium petat. Nam sine Imitatione nihil in re poëtica proficitur.*

Perlectis autem diligenter & bene cognitis eius generis versibus, quos ipse facere studet, & mox collecta verborum copia, genióque carminis probè cognito, similia carmina Musis bene fortunantibus ipse condere incipiet.

Postremò idem poëma sæpe sub incudem reuocatum castigabit, ipsúmque diu supprimet.

ANNO-

ANNOTATIONES VTILISSIMÆ
De virtutibus & vitiis carminis.

In primis Heroici & Elegiaci.

Carminis virtus & elegantia in decem præcipuè rebus consistit.
I. *In apta & vsitata pedum compositione ac varietate, quæ, vt suprà diximus, præcipuum Heroici & Elegiaci carminis ornamentum est.*
II. *In litterarum ac syllabarum suaui vi & modulata coniunctione. vitanda est igitur eiusdem & litteræ & syllabæ repetitio, quæ durũ quid ac blæsum sonat.*

Littera: Vt cùm multæ dictiones ab eadem incipiunt consonante, qualis est ille versiculus,
O Tite tute Tati tibi tanta tyranne tulisti.
Syllabæ: vt O fortunatam natam me Consule Romam.
III. *Cauenda est etiam similis in fine terminatio, quæ præterquam quòd de ornatu detrahit, etiam obscuritatem parit.*
Propertius, Est galea hirsuta compta lupina iuba.
Ouidius. Fama recens parua sparsa resedit aqua.
IIII. *Vitandi quoque sunt versus qui in Penthemimeri & in fine eundem referunt sonum: quales multi sine affectatione etiam veteribus exciderunt. Eos autem vocant Leoninos.*
Virgilius, I nunc & verbis virtutem illude superbis.
Ouidius, Vir precor vxori, frater succurre sorori.
Idem, Nec nisi finita per plurima vulnera vita.
Idem, Si Troiæ fatis aliquid restare putatis.
Idem. Ipse ego librorum video delicta meorum.
Sic in Pentametro, Quærebant flauos per nemus omne fauos.
Et, Si mihi quod prodest, hoc tibi Lector obest.

Cuiusmodi versibus plerique sæculis superioribus plurimum videntur oblectati.
V. *Fugiendæ præterea dictiones monosyllabæ: quæ, si plures vno loco cumulentur, versum planè deformant. vt,*
Non est ex his qui se sanos viuere carent.

Monendi sunt sæpenumerò pueri, vt sedulò vitent dictiones superuacaneas, quibus versus explendi gratia initio vti consueuerunt: quales sunt, Nunc, Tunc Sed, Et, Que, Quoque, Etiam, Quippe, Profectò, *& alia eiuscemodi, quæ carmen deformant cùm adiiciuntur otiosa.*

Iam quæ deformitas est in monosyllabis, eadem quoque est in dictionibus plurium syllabarum, vt apud Horatium,
Quisquis luxuria tristiue superstitione, *&c.*

Reliqua verò vitia ex syllabis prouenientia, suprà indicauimus, vbi egimus de carmine Hexametro & Pentametro.

VI. *In Cæsuris seu Incisis, quæ carmen, vt antea dictum est, vel maximè exornant: Plura tamen Incisa interdum carminis grauitatem dissolutione quadam attenuant.*

Tibullus, Semper vt inducar blandos offers mihi vultus.

VII. *In Collisione & Elisione, quæ numerum nunc efficiunt meliorem pleniorémque, nunc etiam planè corrumpunt, vt ex superioribus facilè intelligitur.*

VIII. *In Epithetis. Hæc enim plurimū afferunt ornamenti, si quis iis in loco & cum iudicio vtatur. Nec ornant solùm orationem, sed obscura etiam explicant, ambigua distinguunt, & minus valentia augent & amplificant, & grata quadam pulcritudine orationem ornant.*

In iis autem obseruandum est, vt apta sint, & conuenientia, tum rebus ipsis quæ tractantur, tum circumstantiis, præsentique instituto Non enim semper congruit canem appellare rabidum, sed non numquam placidum.

Permultum quoque refert quo loco & ordine epitheta collocentur.

Venustum habetur si Substantiuis præponantur, & ab iisdem per interpositam orationis partem separentur.

Ouidius, Nudáque marmoreis percussit pectora palmis.

Idem, Lurida terribiles miscent aconita nouercæ.

At vbi sequimur Grammaticum ordinem, planè friget oratio.

Lucanus, Amissæ leges pereunt discrimine nullo.

Cauendum maximè, ne Epithetis vtamur ineptis vel absurdis, & ab argumento quod tractatur alienis.

Deinde, ne nimiis, vt fastidium pariant.

Postremo ne plura vni Substantiuo apponantur. Quod tamen Virgiliū in decem propè versibus fecisse annotauit Seruius tertio Æneidos. vt,

Atque hic vndantem bello, magnúmque fluentem
Nilum. *Et*, Placatáque venti
Dant maria, & lenis crepitans vocat auster in altum. *&c.*

IX. *In verborum copia. Quò pertinet vt nec sæpius eadem verba, nec iisdem verbis eadem sententia repetatur; sed hæc per copiam aliquam varientur.*

Quemadmodum Virgilius Æneidos octauo, in narratione duelli Herculis cum Caco, domicilium Caci generali nomine sæpius speluncam, deinde variè appellat vastum recessum, vastum antrum, domū atram, domum caliginosam, vmbrosam cauernam, ingentem regiam, ingentem specum, saxum opacum, cauum saxum.

Sic & Ouidius eandem sententiam variauit, inquiens,

O qua-

O quater & quoties non est numerare beatum. *Et,*
O quater & quoties numero comprehendere non est
Felicem.

Vnde satis manifestũ est, Troporum quoque ac Schematum notitiam, adeóque quæ de verborum ac Rerum copia dantur præcepta, scripturis carmen esse apprimè necessaria, tum vt fugientes tautologiam, dictionis varietate gratiam captent, tum etiam, vt si quid fortè exstiterit quod ratio metri repudiet, statim ad manum sit quod in eius locum succedat.

X. *In optimorum verborum delectu, & apta compositione. Hæc enim duo in omni genere scripti, ne dum in carmine necessariò requiruntur, vt præclarè Cæsar dixerit;* Origo eloquentiæ est delectus & obseruatio vocabulorum & sententiarum.

Porrò ad aptam verborum compositionem facilè percipiendam, cura, diligentiáque est adhibenda, auresque cum bonorum poëtarum lectione assidua, tum accurata imitatione & exercitatione assuefaciendæ sunt, vt si quid improprium, insitatúmque, aut si quid asperum, confusum, languidúmque incidat, id statim iudicare sciant, & repudiare discant.

Possunt enim eadem esse verba, similes numeri, pares sententiæ: tamen si quid immutetur, diuersus & planè dispar efficiatur sonus. Ouidius;

Regia, crede mihi, res est succurrere lapsis.

Hoc omnem gratiam amiserit, si dicas,

Crede mihi, lapsis succurrere regia res est.

Virgilius, Et vitta comptos voluit prætendere ramos.

Quod si proferas hoc modo,

Et ramos voluit comptos prætendere vitta,

minus numerosum, minúsque elegans carmen est.

Quod vtile fuerit in pluribus alijs iuuentuti commonstrare.

De verborum Delectu.

Ad verborum verò delectum facilius agendum, legendus Iacobus Strebæus de verborum electione, &c. libro Primo.

Atque in primis ediscenda sunt illa verborum discrimina, quæ in Copiæ præceptis à viris doctis explicantur:

Verborum alia sunt {
Barbara, Impropria,
Prisca,
Antiquata & Obsoleta.
Sordida,
Humilia,
Inflata & tumida.
Poëtica,
Græca, Obscena.
}

Barba-

Barbara nullũ in oratione locum habeant, nisi doctorum vsu iam approbata sint, & quasi facta Romana, vt Bombarda, *fictum quidem, sed vsitatum rei nouæ vocabulum est. Sic* Sarissa *pro* hasta *Macedonicũ vocabulum, apud Ouidium.* Corytus *pro* pharetra *Etruscum apud Virgilium.*

Impropria non sunt vsurpanda, nisi quæ auctoritatẽ habent. vt Spes *pro* metu.

Ouidius, Spes quoque lenta fuit, tardè quoque credita lædunt.

Virgilius, Hunc ego si potui tantum sperare dolorem,
Et perferre soror potero. Sperare, *pro* timere.

Sic Promittere *pro* minari.

Virgilius, Promisi vltorem, & verbis odia aspera moui.

Improprius etiam licebit vti, vbi propria deerunt. Præstat enim impropriè vel Græcè loqui, quàm barbarè.

Iam vt Improprietas vitanda est, ita quoque omnis Obscuritas; quæ nasci solet vel ex ipsa Improprietate alicuius vocis; vel ex confusa & perplexa verborum traiectione; vel denique ex nimis longa Nominis à Verbo, vel Adiectiui à Substantiuo seiunctione.

Prisca dicuntur, quæ non omnino relicta, aut contempta sunt; sed solum in quotidiani sermonis vsu iam diu intermissa. vt Olli, *pro* illi. Aduortit, *pro* aduertit. Estur, *pro* consumitur. Oppidò, *pro* valde. Actutum, *pro* statim. Proles, Soboles, Rebar, *&c.*

His parcè quidem vtendum, sed tamen suo loco positis nihil his vti prohibet, vt quibus dignitatẽ det ipsa antiquitas seu veterũ auctoritas.

Antiquata seu Obsoleta dicuntur, quæ iam esse desierunt, adeòque oblitterata sunt, vt in vsum reuocari non debeant, quæ Cæsar proinde in oratione, vt in mari scopulum fugienda præcepit. vt Moriri *pro* mori.

Sordida dicuntur, quibus res fœdas nominamus, vt animaliũ excrementa Stercus; stercorare, *&c. nisi fortassis cum agricola, vel de agricultura loquaris.*

Hæc igitur aut circumscribenda sunt, aut Epitheto corrigenda. quemadmodum Ouidius alicubi signis quibusdam circumscribit bubulcum, & subulcum.

Humilia sunt quæ personarũ aut rerum dignitatem non satis exprimunt, vt si Iouem regulum dicas, Amicum congerronem.

Ita aqua *pro* mari *nimis abiectum est, &* gutta *pro* lacrimis.
Sed vtrumque adiectione Epitheti subleuatur.

Ouidius, Per immensas puppe feruntur aquas.

Virgilius, Guttis humectat grandibus ora.

Inflata quoque & tumida admittenda non sunt. Cuius generis est illud Silij, Ordior arma, quibus cælo se gloria tollit.

Poë-

Poëtica sunt quæ rectè in versu adhibentur, sed in oratione soluta sunt liberiora. Huiusmodi sunt Epitheta solis versibus conuenientia, vt Vulnificus, Trittificus, Veliuolum mare.

Item hæc. Cernis acutum. *pro* acutè.

Cato, Fistula dulce canit. *pro* dulciter.

Suaue rubens hyacinthus. *pro* suauiter.

Infanda furentem, *pro* infandis modis. *In quibus est Enallage partis Poëtis solis vsurpanda.*

Græca quoque Latinis misceri non debent: tam enim hoc vitiosum est, quàm sit orationi solutæ immiscere versum: aut ex versibus & prosa orationem contexere. Neque in oratione Latina magis vtendum Græcis, quàm Græci Latinis vtuntur in oratione Græca. Alioqui sine caussa vtentes Græcis in ostentationis suspicionem facilè inciderint.

Sunt tamen rationes non nullæ, quæ in oratione Latina, vtentes interdum vocabulis Græcis, excusare queant.

I. ***Licet in oratione Latina iis vti vocabulis Græcis quæ ipsa Antiquitas iam quasi Latinitate donauit, quibúsque nunc omnes perinde vt Latinis vtuntur.***

Cuiusmodi sunt pleraque Artium & Disciplinarum vocabula, Grammatica, Dialectica, Rhetorica, *&c.* Tropi, Schemata, Syllogismi, *&c.* Philosophia, Theologia, *&c. Item,* Ecclesia, Eucharistia, Baptismus, *&c.*

II. *Græcis vtimur, cùm Latina desunt, vt in multis* Lapidum, Gemmarum, Herbarum, Plantarum, Morborum, & Medicamentorum *nominibus.*

III. *Vtuntur quoque non numquam Scriptores vocabulis Græcis, ioci aut irrisionis gratia.*

Ad hæc cùm breuiter aliquid, aut significantius dicere volunt. Postremò, quod frequens est, cùm quid tectius volunt conscribere, quod non statim à quouis intelligatur.

Obscena verba sunt immunda & impudica, quæ vel libidinem, vel aliquid eò spectans significant.

Hæc numquam habebunt in oratione locum, vt nec in corde, nec in ore hominis liberaliter ac piè educati, cui semper ab omni, quod

sua

sua specie affert vel minimam turpitudinis cogitationem, est abstinendum. Mens enim casta talibus offenditur; versarique cum iis qui libenter his vtuntur, non caret læsionis aut contagij periculo:

Adde his, Quòd obscenitatem & immunditiam sermonis seriò grauitérque prohibeant Sacræ litteræ.

Omnis sermo spurcus, *scribit ad Ephesios Apostolus cap. 5.* ex ore vestro non procedat.

Item, Fornicatio, & omnis immunditia, ne nominetur quidem inter vos, sicut decet sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas.

Ex quibus verbis facilè colligas, quàm grauiter ij Deum offendant, qui rerum turpium, & flagitiosarum voluptatum cogitatione, lectione vel scriptione se libenter oblectent.

Quamobrem discipulos suos admonebunt diligenter pij & fideles Præceptores, vt nec obscena vel ipsi vnquam scribant, nec impudica Poëtarum scripta vel legant, vel apud se conseruent, ne quid fortasse sordium animo, velut ex contagio, adhæreat. Sed contrà lubricos omnes, leues & impudicos Poëtas, vt Epigrammatographos, Satyricos, Lyricos; & Mimorum scriptores, doctores ebrios, & homines flagitiosos, qui impuris hominum moribus labores suos destinarunt, non minùs quàm animæ pestem sedulò deuitent & auersentur: quorum lectio quantum officiat puerorum moribus; quantáque afferat adolescentiæ intemperanti vitiorum incitamenta, verbis non facilè queat explicari. Et sanè in tanta optimorum & honestißimorum Poëtarum copia, his omnibus facilè carere queant adolescentes ingenui & verecundi.

Consultißimum igitur fuerit Virgilium illustrem, & verè nobilem Poëtam, omniúmque longè principem, qui olim à modestia Parthenius est appellatus, pueris prælegere & enarrare, cuius vel sola Æneis puerorum studiis promouendis plurimùm commodare queat.

Ipsi verò pueri iam prouectiores magno cum fructu per se legere poterunt Christianos quoque sacros & castos Poëtas, quorum diligenti

genti lectione, non doctiores solùm, sed meliores etiam, & ad virtutem, & rerum cælestium desiderium inflammatiores reddantur.

Cuius ordinis sunt plerique veteres, Prudentius, Paullinus, Prosper, Iuuencus, & Sedulius. Tum qui auorum, vel hac nostra ætate scripserunt, Mantuanus, Hieronymus Vida, Antonius Flaminius, Antonius Houaus, Iacobus Latomus, Leuinus Brechtus, Læuinus Torrentius, Laurentius Gambara, Benedictus Arias Montanus, Franciscus Maurus Hispellas, & plures alij, quorum non nulli veterum Poëtarum gloriam varietate poëmatis & elegantia adæquarunt.

REGVLÆ SPECIALES
DE PRIMIS ET MEDIIS SYLLABIS.

In regvlas seqventes præfativncvla.

Cvm *multa sint in cognoscenda syllabarum quantitate, quæ in superioribus regulis comprehendi non queant, adiecimus hoc loco de singulis Vocalibus ante Consonantes positis, regulas aliquot speciales, eásque ab aliis præceptis seiunctas, vt in iis singularum vocum sit facilior & expeditior inuentio.*

Poëtarum porrò testimonia, quibus hæ regulæ nitantur ac confirmentur, ne fortassis æquo longius Compendij limites prætereamus, hoc loco duximus omittenda, eáq. cùm erit opus in Christiani Massæi, & Georgij Macropedij Prosodia, vel in opere magno Despauteriano requirantur. Vale feliciter candide & beneuole Lector, & opellam hanc qualemcumque boni consule. Mechliniæ, in ædibus Thaborinis. Anno CIↃ. IↃ. LXXVII. *mense Octobri.*

II. REGVLÆ SVMMARIÆ.

A, E, I, O, *in primis & mediis syllabis, ante Consonantes fermè omnes corripiuntur.*

V *in iisdem ante omnes Consonantes producitur.*

A *ante* B.

In primis corripitur Faber, labrum, rabies, scabies.

Excipiuntur Crabro, labor *verbum*, labes, tabes, tabum, fabula, pabulum.

Propria, Nabis, Sabatius, Sabus, Sabura, Tabraca.

Variatur Abel, Flabellum, Labicum.

In mediis corripitur Cannabis, Alabastrum.

Excipiũtur Deriuatiua in Abilis, abundus, abrum, abra, abulum: Amabilis, cogitabundus, candelabrum, dolabra, venabulum.

Propria, Atabulus, Dolabella.

A *ante* C.

In primis corripitur Acer *Substantiuum*, acerbus, acies, macer, acedia, lacer, sacer.

Excipitur Acer *Adiectiuum*, brachium, cacabus, cacabo, facundus, graculus, machina, macero, maceria, maceries, paco, placo, Thracia, Vacinium.

Propria, Dacia, *non* Daca, Pacuuius, Zacharias.

Variatur Cacus.

In mediis corripitur Achar, acis, Æacus, Tribrachys, Amphimacer, Isacus.

Excipitur Cloaca, Cochlaca, Hippaco, as, iracundus, Limaca, Meracus, a, um, opacus, pastinaca, portulaca, pistacium, petacius, sampsacum, simulacrum.

Item Deriuatiua in Aceus, *&* Acius, a, um, Acus, a, um, Aculus, a, um, Acundus, a, um: *vt*, Herbaceus, Gallinacius, Cameracus, Vernaculus, Iracundus.

Propria, Benacus, Bonifacius, Eboracum, Otacilius, Phæacia, Sarraca, Syracusæ.

A *ante* D.

In primis corripitur Ador, Cado, Hadria, Madeo, Radius, Spado, Vador, Vadum.

Excipitur Caduceum *cum suis*, Clades, Gader, Gadir, Quadus, Radix, Radico, Rado, Suadeo, Spadix, Trado, *& similia à* Trans, Vado.

Propria, Dada, Fadus, Gades, Gaditanus, Ladas, Ladon.

Variantur Gradiuus, Quadi, Adamus.

In mediis corripitur Academia, Celadon, Carneades, Troades.

Excipitur Cicada.

Propria, Ageladas, Iader, Iadria, Conradus, Menradus.

A *ante* F.

In primis corripitur Vafer, Africa, Africus, Afranius.

Excipitur Afer, *cum suis deriuatis.*

In mediis corripitur, Theafus.

Excipe, Carafa, Venafrum, Venafranum.

A *ante* G.

In primis corripitur Ager, Sagax, Sagum, Tagus, Tagax.

Excipiuntur quæ incipiunt ab F, *vel* P. *vt* Fagus, Fragrum, Fragror *Verbum*, *hinc* Refragor, Suffragor, Flagito, Flagitium, Pagus, Pagina, Paganice.

Hinc tolle, Plaga, *pro reti vel parte mundi*, Plagium, Plagiarius, Flagrum, Flagellum, Flagro, Fragor *Nomen*, Fragilis, Fragro, *quæ corripiuntur.*

Item produc Agalma, Agea, Laganum, Lagopus, Magalia,

lia, Sagus, Saga, Sagum, Sagio, Strages, Stragulum, Tragula, Tragema, Vagina.

Propria, Agis, Cragus, Lagus, Lagonus, Bragada, Mago, Pagaſa.

In mediis corripitur Acragas, Aſtyages, Lalage, Pelagus, Hypallage, Enallage, Onager, Chiragra, Iſagoge, Pædagogus, Pamphagus, Herpagus, Lucagus, Vertagus, Pythagoras.

Excipiuntur in Ago, Ages, Agulum, Aginta: *vt* Compago, Virago, Compages, Contagies, Contagium, Repagulum, Quadraginta *cum ſimilibus. Item* Bethphage.

A *ante* L.

In primis corripiuntur, Malus, a, um, Salus, Palus, Palatum, Salio, Salix, Calix, Alo, Phalæ, Palam. *hinc* Propalo. Caleo, Valeo, Salebra, Phaleræ, Calumnior, Salarium, Thalia, Palinodia.

Excipiuntur, Ales, Alea, Ala *cum ſuis*, Balo, Balæna, Caligo *nomen & verbum*, Calo, Gale, Halo, Halec, Halex, Malus, Mala, Malum, *ſubſtantiua*, Malo, Palus, li, Palo, Qualis, Qualus, Malobathrum, Squaleo, Scala, Talea, Talis, Talio, Talus, Talaris, Talaria.

Propria, Aledius, Alecto, Aliphe, Calatia, Daliba, Laletania, Palas, antis, Salentum.

In mediis corripitur Tantalus, Dædalus, Italus, Cephalus, Chryſalus.

Excipiuntur Deriuatiua in Alis, ale: *vt* Æqualis, (*præter Patronymica*: *vt* Tantalis, Pardalis.) *Item* Canalis, Sodalis, Magalia, Mapalia, Sandalium.

Propria, Abeſſàlon, Cephalenes, Omphale, Pharſalus, Sardanapalus, Stymphalus.

